Diſſertationum Germanicarum

Tom. I.

De Iure Publico

P. IV.

Digitized by Google

Digitized by Google

Elenchus Auctorum

I. Schulte | Alberti. | De Iure Fisci in haereditates privato=
=rum. Lipſiae. 1740. —

II. Engelbrecht. | Georgij. | de Conjunctione Officiorum. —
Helmſtadij. 1751. —

III. Gutſchmid. | Chriſtiani Gotthelfij. | de favore Commercior.
Liber primus. Lipſiae. 1750. —

IV. Hommelij | Caroli Ferdinandi | De Legum Civilium, et —
Naturalium natura. Lipſiae. 1743. —

V. Wild. | Friderici Guilielmi | de Obſignatione Rerum —
Legati ejusdemque Comitatus. Halae. 1751. —

VI. De Poser | Ernesti Chriſtiani | De memoria Initij contra prae=
=ſcriptionem immemorialem praecipue Regalium et Roma=
=niorum. Halae Magdeburgicae. 1740. —

VII. Grohmann | Chriſtiani Guiliel. Ludov. | Principium cognoſcendi
justi et aequi verum, evidens, adaequatum ex utilitate.
Lipſiae. 1746. —

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

DE

IVRE FISCI

IN

HEREDITATES PRIVATORVM

DVCE ATQVE RECTORE DEO

EX

IVSSV ET AVCTORITATE ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS

PRO LICENTIA

SVMMOS IN VTROQVE IVRE HONORES CAPESSENDI

DIE XXV. AVG. A. MDCCXL.

H. L. Q. C.

PVBLICE DISPVTABIT

ALBERTVS SCHVLTE

HAMBVRGENSIS.



Hocce Monumentum amico suo carissimo d d. IA.C.

LIPSIAE

EX. OFFICINA LANGENHEMIANA

Digitized by Google

ILLVSTRI

REIPVBLICAE HAMBVRGENSIS SENATVI

VIRIS MAGNIFICIS

SPECTATISSIMIS CONSVLTISSIMIS

GRAVISSIMIS

PATRONIS VENERANDIS

HANC

DISSERTATIONEM

D. D.

ALBERTVS SCHVLTE.

Digitized by Google

Digitized by Google

VIRI MAGNIFICI
ATQVE AMPLISSIMI

PATRONI SVMME
COLENDI

Dum Veſtris auſpiciis in lucem emitto Academicum hunc ſtudiorum meorum prouentum, a MAGNIFICI ORDINIS VESTRI *ſplendore vni-*

Google

cum decus tenui libello audeo mutuari. Temerarium quidem videtur, quod iuris fiſcalis expoſitionem exhibere coner VOBIS, quorum prouida ac vigili prudentia inter grauiſſima onera ſaluum ſtat reipublicae patriae aerarium. Sed audaciae huic obſequi iubet me ea, qua VOBIS obſtringor, reuerentia, Veſtrumque, quo nihil pretioſius mihi eſſe noui, erga me patrocinium. Summam votorum conſecutus mihi videbor, ſi VOBIS vel conatus non improbetur. Quam indulgentiam ſperare iubet ſingularis, quo diſciplinas et litterarum ſtudia fouetis, amor.

Laudandi conatum cohibet verecundia laudan-

Digitized by Google

laudandorum. Imo nec eius ſum temeritatis, vt Veſtram doctrinae amplitudinem, Veſtram rerum ac negotiorum experientiam, Veſtram mentis dexteritatem, Veſtrum animi candorem, corruptelis inimicum, ingenii mei imbecillitate attenuem.

Deum precor, vt AMPLISSIMO VESTRO CONSESSVI, publicae ſalutis ac iuſtitiae cuſtodi, cuſtos ſit ac munimentum. Faxit Summum Numen, vt diuturnum ſit illud Veſtrum praeſidium, quod tutam et incolumem ſeruat Rempublicam patriam. Faxit, vt ea longaeua ſit mutua felicitas, qua HAMBVRGVM *illuſtra-*

tur

tur nominum Veſtrorum ſplendore et ex HAMBVRGI *incolumitate conſilii Veſtri ſapientia ciuibus aeque ac exteris innoteſcit. Dabam Lipſiae die XVIII. Aug. A. MDCCXL.*

§. I.

Digitized by Google

§ I. *Aerarii publici neceſſitas.*
§ II. *Aerarii et fiſci differentia.*
§ III. *Fiſci ius in territoriis Germaniae.*

§. I.

Quum ſalua et incolumis eſſe nequeat ciuilis ſocietas, niſi habeat, vnde expenſas, in publicum commodum erogandas, depromere poſſit, merito inter praecipua ciuilis felicitatis munimenta referendum videtur publicum aerarium, quod validiſſimum rerum gerendarum neruum praeſtat. [a] Teſtantur id non ſolum imperiorum et rerumpublicarum, quarum diuturnior fortuna exſtitit, exempla, ſed praeclare etiam hanc in rem TACITVS, [b] prudentiae ciuilis praecepta ſecutus, diſſerit, *neque quies gentium*, inquiens, *ſine armis, neque arma ſine ſtipendiis, neque ſtipendia ſine tributis haberi queunt.* IDEM ille alio loco [c] refert, Neroni, quum ad conciliandam ſibi populi gratiam vectigalia omitti voluerit, grauiter ſeſe oppoſuiſſe Senatores, *diſſolutionem imperii docendo, ſi fructus, quibus reſp. ſuſtineretur, deminuerentur.* Inde apud gentes, quibus intentior reipublicae

a CASP. KLOCK. de Aerar. L. I. c. 1.
b L. IV. Hiſtor. c. 74.
c L. XIII. Ann. c. 50.

Digitized by Google

bene prudenterque conſtituendae cura fuit, varia conferendae pecuniae media variique fiſci reditus et emolumenta inualuerunt. In conficiendo enim aerario publico tum ad pecuniae acquiſitionem, tum ad conſeruationem reditus et diuturnitatem reſpiciendum, eoque enitendum eſt, vt inſtar inexhauſti et perennaturi fontis perpetuam acceſſionum cauſam, et erogandis ſuffecturam, habeat. [d] Inde prouenerunt priuilegia et iura ſingularia, ex cuiusuis reipublicae propriis legibus et imperii formula accuratius diiudicanda. Non enim imperii exercendi vna eademque ratio, aliterque in regnis limitatis et vſufructuariis, ac in abſolutis aut principatu patrimoniali rerum et negotiorum procedit adminiſtratio, adeo, vt nubem pro Iunone, veluti in prouerbio eſt, arriperet, qui forte Romanorum leges, fiſci iura deſcribentes, quantacunque etiam ex libero gentium conſenſu polleant auctoritate, omnium ciuitatum formis aptas crederet et conuenientes.

§. II.

Ex iisdem principiis enata eſt *aerarii* et *fiſci* differentia, [e] quae et apud Romanos olim vſu recepta fuit, et adhuc hodie hinc inde obtinet. Illud reipublicae, hic Principi addicitur, hic domus auguſtae vſibus et neceſſitatibus, adhibito plerumque Domanii elogio, illud publicis ſumtibus ferendis inſeruit, diuerſaque vtriusque deprehenduntur iura, reditus, adminiſtratio. Non infrequens quoque, Principem quaedam priuato iure poſſidere, niſi pacto vel lege Regia ab hoc acquiſitionis genere arceatur. Ceſſant haec plerumque in Republica et monarchia abſoluta, ſed frequentius in Principatu mixto occurrunt. Romam veterem hanc differentiam agnouiſſe, plurima Status priſtini veſtigia probant. De Octauio Auguſto, qui Romam, ciuilibus diſcordiis feſſam, imperio complexus, inter arcana dominationis referebat, ſub libertatis priſtinae vmbra Senatui populoque placere, relatum legimus, [f] eum

d *Videndum, vt ratio quaeſtuum et neceſſitas erogationum inter ſe congruant.* TACITVS Ann. L XIII. c. 50.

e conf. CASP. KLOCK de Aerario L. I. cap. 2.

f v. DIONEM in Auguſto.

eum prouincias in *Praetorias*, populo vectigales, et *Praeſidiales*, fiſco tributarias, partitum fuiſſe. Ipſum quoque lucra teſtamentaria ex rebus priuatorum haud inuitum acceptaſſe, fide SVETONII [g] nouimus, certo argumento, quod priuatae rei augendae curam, adepto licet imperio, neutiquam depoſuerit. Hadrianus *bona damnatorum in fiſcum priuatum redigi vetuit, omni ſumma in aerario publico recepta.* [h] De Traiano ſuo, optimo Principe, ita PLINIVS: [i] *At fortaſſe non eadem ſeueritate fiſcum, qua aerarium, cohibes: imo tanto maiore, quanto tibi plus licere de tuo, quam de publico credis.* Equidem ſuſius haec perſequi ab inſtituto alienum videtur, licet vtriusque aerarii differentia ex variis Iuſtinianei iuris, quo hodie vtimur, argumentis colligi queat. [k] Vero autem omnino ſimile eſt, vtriusque aerarii iura ſenſim ſenſimque fuiſſe confuſa, aut, omni antiquae libertatis ſpecie ceſſante, vtrumque abſoluto Imperatorum arbitrio fuiſſe relictum, poſtquam Auguſtorum poteſtas, ad verae monarchiae rationes compoſita, ſatisque firmata, eius generis ſchemate politico non indigebat. [l] Sed eſto, ſparſas adhuc Orientalium Imperatorum tempore fuiſſe publicorum redituum collectiones per diuerſas admi-

g in Auguſto c. 66. *Exegit et ipſe inuicem ab amicis beneuolentiam mutuam, tam a defunctis, quam a viuis. Nam quamuis minime appeteret hereditates, vt qui nunquam ex ignoti teſtamento capere quidquam ſuſtinuerit: amicorum tamen ſuprema iudicia moroſiſſime penſitauit: neque dolore diſſimulato, ſi parcius, aut citra honorem verborum: neque gaudio, ſi grate pieque quis ſe proſecutus fuiſſet.*

h SPARTIANVS in eius vita.

i in Panegyrico c. 36.

k Vtriusque mentionem iniicit *l. 13. D. de I. F.* Id vero parum ad rem facit, quum accuratiores Interpretes eodem vtrumque ſenſu ibidem capi obſeruent. Sed ſi leges Codicis euoluamus, licet Iuſtiniani tempore facies formaque Imperii prorſus immutata eſſet, omnesque prouinciarum reditus Caeſaris iuri poteſtatique penitus ſubiecti; occurrunt tamen ſacrarum largitionum et rerum priuatarum Comites. Illae aerarii vicem; hae fiſci imaginem forſitan referebant. v. *Tit. C. de Offic. Com. Sacr. Largit.* it. *de Offic. Com. rer. priu.*

l Eo pertinet, quod ſcribit DIO CASSIVS L. LIII. *neſcire ſe, quid inter Auguſti et publicum aerarium interſit.* Et alio loco: *Re ipſa Caeſar vnus in omnibus rebus plenum erat imperium habiturus, quum et pecuniam (nam etſi ſuas ab aerario ſeparatim habebat, tamen his quoque ſuo arbitrio vtebatur) et milites in ſua haberet poteſtate.*

niſtrationes diuerſaque aeraria, et concedamus, diuerſos pecuniae publicae et fiſcalis Procuratores extitiſſe; certum tamen eſt, hanc Procuratorum Fiſcalium rationem a ſola Auguſtorum liberaque pependiſſe voluntate. Quare mihi ſufficit notaſſe, fiſcum denotare *patrimonium, reipublicae Principiſque vtilitatibus et neceſſariis expenſis inſeruiens; variiſque ad hunc finem obtinendum iuribus et reditibus inſtructum.*

§. III.

Germania, olim in plures populos diuiſa, ante Francorum imperium vix certa regiminis formula vtebatur. Nec ergo iuris fiſcalis origines ex antiquiſſimorum temporum tenebris eruere vacat. Poſtquam vero Caroli virtute effectum, vt complures Germaniae Ducatus aut armis aut foedere Francorum Regno accederent, et in prouincias ſeparatas redigerentur, id, deficiente ſtirpe Carolingica, poſt varias temporum mutationes Regum indulgentia euenit, vt, qui olim regni proceres et adminiſtratores erant, nunc proprio iure prouincias poſſideant, et complures velut ſeparatas regiones ſua autonomia gaudentes conſtituant. Ii tametſi coniunctim vnum caput ſummum agnoſcant, ad regimen tamen Germaniae vniuerſale ex legum Imp. fundamentalium ſtatuto concurrunt. Haec imperii limitati forma duplex in Germania ius fiſci produxit, *commune* ſcilicet, Imperio Caeſarique proprium, et *territoriale*, id quod leges publicae euidenter probant. Communia Imperii aeraria, a priuato Caeſaris fiſco diſtincta, tria inprimis deprehendo: *Camerale*, quod ſalariis perſonarum Cameralium aliiſque ſumtibus, in Auguſti huius tribunalis conſeruationem ferendis, inſeruit. [m] *Circulare*, quod in quouis circulo ex collectis ſtatuum Circularium conficitur. *Imperiale*, quod collectas ab vniuerſo Imperio conſenſu Comitiali, tempore cumprimis belli, vel aliis exiſtentibus cauſis, communes ſumtus requirentibus, conſtitutas et a Caeſare indictas colligit, ſeruat, expendit. [n] Quoad terri-

m conf. Illuſtr. A LVDOLPH Hiſtoria Suſtent. Camer.

n v. *Capit. Car. VI. Imper.* Art. V. conf. IO. SCHILT. Inſt. I. P. L. II. tit. 1. §. 13. 14.

territorialia in prouinciis Germaniae plerisque, vbi ſtatuum Prouincialium viget vſus et auctoritas, fiſcum Principis a Prouinciali aerario differre experientia edocemur. Vtriusque quidem ratio in hac, quam ſuſcepi, tractatione haberi poſſet. Sed campum ingrederer nimis diffuſum. Id enim quomodo conuenienter exſequerer, niſi legibus fundamentalibus, ſtatutis, moribus vniuscuiusque prouinciae ſolide excuſſis? Quod vti vires meas et modum libelli Academici ſuperat; ita limites mihi pono, vt generaliter de fiſci iure loquar, quod eminenti Statuum Imperii conditioni, Superioritati ſcil. territoriali, adhaeret. Nec vero illa mihi mens eſt, vt omnia fiſci iura ſim expoſiturus. Hoc enim ſpatium quis in tenui opuſculo emetietur? Mea nunc diſputatio non exhibebit, niſi fiſci ius in hereditates priuatorum. Quum vero eo inualuerit Iuris Romani in Germania auctoritas, vt illud non in cauſis litibusque priuatis ſolum, ſed in iuribus quoque fiſci aeſtimandis adhiberi ſoleat, eius vſus autem anceps quidem et inter Pragmaticorum diſſenſus fluctuans interdum deprehendatur, ſed non niſi ex ſolida legum explicatione et accurata rationis fiſcalis apud Romanos theoria deduci et ad aliquam certitudinem redigi poſſit; conſultum putaui, de legum Romanarum placitis ſeparatim diſſerere. Eo igitur ordine argumenti tractationem diſpoſui, vt praemitterem, quae ex Romano iure ad hanc ſcenam inſtruendam pertinent, adeoque de bonis, ob defectum heredum vacantibus, de illis, quae Latii ſtilo caduca et ereptitia dicuntur, poſt quae ex teſtamentis ciuium, Principi vel reipublicae hereditatem deferentibus, et denique quae ob delicta fiſco vindicantur, agerem. Iis autem, quantum inſtituti ratio expoſcere videtur, excuſſis, vſum iuris Romani in Germania ſeparatim demonſtrabo, eundem vel ex rationum, legum forique auctoritate aſſerturus, vel, prouti materiae indoles feret, reiecturus, additis nonnullis, quae leges Germanicae in emolumentum fiſci circa ciuium hereditates conſtituerunt.

 CAPVT

CAPVT I.

DE

IVRE FISCI IN BONA, QVAE OB DEFECTVM HEREDIS VACANTIA DICVNTVR.

§ IV. *Bon. Vac. fundamentum.*
§. V *B. V in Legibus Romanis fiſco aſſignantur.*
§. VI. *Bon. Vacant. Caducorum Ereptitiorumque differentia.*
§ VII. *Caſus primus, qui bona reddit Vacantia.*
§ VIII. *Secundus.*
§ IX. *Tertius.*
§. X. *De Bon. Vac. nunciatione per Delatores.*
§. XI. *De modo procedendi poſt delationem.*
§. XII. *Fiſcus, Bona Vac. capiens, onera iisdem annexa ferre debet.*
§. XIII *Fiſci commoda ſingularia. Primum. Secundum.*
§. XIV. *Tertium*
§. XV. *De actionibus fiſco ob Bon. Vac. competentibus.*
§. XVI. *De praeſcriptione contra fiſcum. Fiſco competit Reſtitutio in integrum.*

§. IV.

Si naturae dictamina ſequimur, verum eſt, quod vulgo dicitur, *mortem omnia ſoluere.* [o] Deſinunt cum ipſo homine et extinguuntur iura omnia, niſi bonis quaedam inhaerere et cum his viuere et ſupereſſe, [p] quaedam perſonam magis afficere et cum hac velut fato fungi dixeris. Quicquid proprietatis lege aut alio quocunque titulo a defuncto poſſeſſum, illud iam nullius eſſe incipit, poſtquam velle aut nolle aut curare humana deſiimus.

Id cinerem aut manes credis curare ſepultos?

Mente animoque reguntur, habentur, ſeruantur omnia, quae patrimonio complectimur. Animus vero, conſortio corporis ſoluto, ſtatus mutationem paſſus, ſuſtinere perſonam in ciuili ſocietate nequit. Nec in contrarium valet, ſed, rerum humanarum indole curatius inſpecta, corruit argumentum, quod ab immortalitate animae deducitur, [q] et quo defunctos rerum ſuarum dominos etiam poſt fata ſuprema manere fingunt. Inualuit ergo quaſi

o *Nou* XXII. c. 28.
p Quae ſententia PVFFENDORFII eſt in I. N. et G. L. III. c. I. §. II.
q Vtitur eodem LEIBNITIVS in Noua methodo Iuriſprudentiae, vt naturalem teſtamenti factionis libertatem defendat.

Digitized by Google

quaſi in mortalitatis ſolatium teſtamenti factio, et lex ſucceſſionis, quae ſanguinis vinculo iunctis hereditatem addicit. Sic in herede, qui defunctum repraeſentat, defunctus velut viuere videtur. Equidem, quod ius teſtamentorum attinet, nulla gens ſanctiore cura fideque ea ſeruauit, quam Romani, qui hanc de ſuis rebus diſponendi libertatem, et velut legem domeſticam condendi poteſtatem, adeo extulerunt, vt eam inter praecipuas ciuium ſuorum praerogatiuas referrent. Tanti ipſis voluntas vltra mortem ſuperſtes atque efficax viſa fuit, vt teſte CONSTANTINO [r] *nihil magis hominibus debeatur, quam ſupremae voluntatis liber ſtilus et licitum arbitrium.* Quod ſi e contrario quis moreretur, nec lege bonis per ſupremas tabulas dicta, nec herede nuncupato, nec gentilitium ſucceſſorem habens; eius bona, velut a Domino pro derelictis habita, iterum in naturalem ſtatum redibant, et ἀδέσποτα facta, ſi deficiat arbitrarii iuris prouiſio, occupanti cedebant. Quacunque ratione res nullius eſſe coeperint, ſiue natura, ſiue facto, ſiue morte, ſemper obtinet regula, *quod nullius eſt, id naturali ratione occupanti concedi.* [s] Sed cum prouidendum eſſet, ne haec poſſeſſore deſtituta patrimonia occupantium violentiae exponerentur, turbasque in ciuitate darent; conſultius viſum eſt, ea, ad quae acquirenda omnes aequo iure concurrere poſſent, communibus oneribus ferendis aſſignare. Hinc bona vacantia, vt aliae quaedam res, occupationi obnoxiae, gentium moratiorum inſtitutis fiſco vindicari coeperunt. Nec eſt, quod ſubtilius diſquiram, num haec fiſci acquiſitio ex reſeruato quodam toti ciuitati iure in res ſingulorum, easque cumprimis, quae fundorum nomine veniunt, deriuanda veniat, [t] et num Princeps eius generis bona ſuo iure capiat, an vero ciuitatis velut procuratorem agat, an denique Princeps populusque (ceu loquitur TACITVS) *tanquam parens omnium vacantia teneat.* [u] Quamcunque demum eligas

r in l. 1. C. de SS. Eccl.
s l 1. D. de A. R. D. conf. GROT. de I. B. L. II. c. 3. §. 19.
t conf. GROT. l. c.
u Annal. L. III. cap. 28.

Digitized by Google

eligas demonſtrandi rationem, ſufficit, quod ad Principis vel illius, qui τὸ κύριον habet in republica, poteſtatem pertineat, ſubiectorum iura, ſuadente publica vtilitate, reſtringere.

§. V.

Quae hactenus generatim de bonis vacantibus fiſco vindicandis diſſerui, iuris Romani decretis, ſiue de Iurisprudentia Anteiuſtinianea, ſiue de Iuſtiniani legislatione diſquiras, ſatis abunde comprobantur. Equidem legum Decemuiralium placitis et teſtamentorum ius et ſucceſſionis inteſtatae ſtabilitum fuiſſe, quae ſuperſunt, harum reliquiae teſtantur. Omnis itaque ſuccedendi ratio in republica Romana ab arbitrariis ciuitatis legibus pendebat. Illa quidem, quae conſanguinitatis nexu deferebatur ex XII. tabb. arctis ſatis cancellis circumſcripta erat, dum non niſi ſuis heredibus, et poſt hos agnatis, et, his deficientibus, gentilibus proſpiciebat, cognatorum ſerie, ſi quae ſupererat, prorſus excluſa. Quum vero heredem nuncupare ſibi quis vellet, eidem conſenſus populi in comitiis impetratus erat adhibendus. Ex ſententia enim Romanorum teſtamenti factio velut noua legislatio erat, qua lex ſucceſſionis inteſtatae abrogabatur. [v] Quae omnia licet ſucceſſu temporis, inuenta alia teſtandi ratione, et iure cum primis praetorio mutata fuerint, coniecturae tamen locum faciunt, inter alias ſucceſſionis reſtrictae aut teſtamenti factionis difficiliore ratione expediendae cauſas fuiſſe et aerarii adaugendi ſtudium, licet primae et antiquiſſimae iuris Romani origines, et, quae ſuperſunt, fragmenta de eo ſileant. Forte huc pertinet, quod ex GELLIO refert GRAVINA: [x] *Virginem Veſtalem neque heredem eſſe cuiquam inteſtato, neque inteſtatae quemquam, ſed bona eius in publicum redigi.* Expreſſius fiſci cauſam egit lex Papia Poppaea, de bonis caducis et vacantibus in emolumentum aerarii multa conſtituens. Teſtatur de eo VLPIANVS: [y] *Si nemo ſit, ad quem bonorum poſſeſſio pertinere poſſit,* (in antecedentibus enim ſucceſſorii

v Recte hoc obſeruauit CORN. VAN BYNKERSHOEK Obſeru. L. II. c. 2.
x in Opuſc. p. m. 196.
y in fragm. t. XXVIII. §. 7.

Digitized by Google

ſorii Edicti ordines ſeu gradus expoſuerat) *aut ſit quidem, ſed ius ſuum omiſerit, populo bona deferuntur ex lege Iulia Caducaria*. Fiſci quoque iura complura veterum ICtorum loca, in Pandectas relata, loquuntur. Sic VLPIANVS *in l. 1.* et PAPINIANVS in *l. f. D. de ſucc. Edict.* bonorum Vacantium, fiſco deferendorum, mentionem iniiciunt. Bona Vacantia fiſco intra quadriennium ex reſcripto Diui Pii nunciari iubet *l. 1. D. de Iure fiſci* itidemque illorum mentionem facit *l. 20. §. 7. D. de Hered. petit.* adeo, vt dubitandum non ſit, has aerarii publici ſ. fiſci ex hereditatibus vacantibus acceſſiones iam ante Iuſtinianum Romanis legibus obtinuiſſe, hac tamen iuris obſeruata differentia, vt illae primis Monarchiae temporibus aerario, poſt Hadriani tempora [z] et Antonini conſtitutionem, [a] vt fert interpretum opinio, fiſco Principis delatae fuerint. In legiſlatione Iuſtinianea fiſci iura per conſtitutionem Honorii et Theodoſii [b] egregie ſtabiliuntur. Ita enim Imperatores: *Vacantia mortuorum bona tunc ad fiſcum iubemus transferri, ſi nullum ex qualibet ſanguinis linea vel iuris titulo reliquerit inteſtatus heredem.*

§. VI.

Requirit iam inſtituti ratio, vt, quibus caſibus vacare bona dicantur, diſpiciam. His explicandis abunde inſeruire poſſunt legis verba, paullo ante allata. Sed proderit forte prius, quam hanc aggrediar euolutionem, bonorum Vacantium, Caducorum Ereptitiorumque notiones a ſe inuicem ſeparare, quidue iuris conditores, fiſci commodis fauentes, hoc triplici acquiſitionis genere expreſſerint, diſtinctius exponere. Vacantia veteres bona, quae nullum heredem, ſiue ex ſupremis tabulis, ſiue lege ad capiendam hereditatem iacentem vocatum, habent, dixiſſe, notiſſimum eſt, ἀδέσποτα vel ἀκληρονόμητα appellata. Sed *vacantia* et *caduca* ſaepius apud veteres auctores et in ipſis etiam legibus et an-

z SCtum enim, Hadriano imperante conditum, quod exhibet *l. 20. §. 6. D. de her. pet.* fiſci non aerarii meminit.
a Huius conſtitutionis fit mentio in *l. 74. D. de Leg.* et *l. 4. D. de SCto Trebell.*
b in l. 4. C. de B. Vac.

tiquae iuriſprudentiae fragmentis confundi dudum animaduerterunt Interpretes.[c] Et in eo quidem tria haec bonorum genera conueniunt, quod ad acceſſiones fiſcales pertineant, ſed ipſa cauſa differunt. Annotat Vir Ill. HEINECCIVS,[d] Legem Papiam *hoc vocabulum non ſolum ad legata produxiſſe, ſed et omnia vacantium nomine complexam fuiſſe, quae heres legatariusue vel nolunt, vel non poſſunt capere poſt apertas tabulas*, adeoque, quae fiſco cedebant *ante apertas tabulas*, herede deficiente, *caduca;* quae *poſt aperturam teſtamenti, vacantia* fuiſſe dicta. Et certe vero non abſimilem videri coniecturam, forte argumento *l. 96. §. 1. D. de Leg. I.* aſſeri poſſet, vbi Iulianus: *Quotiens*, inquit, *lege Iulia bona Vacantia ad fiſcum pertinent.* Loquitur ICtus ſine dubio de lege Caducaria, ſiue Iuliam quandam, ſiue Papiam intelligat, parum refert, quum probabile ſit, prioris ſententiam in poſteriore fuiſſe repetitam. Aut ergo legem Caducariam de bonis Vacantibus diſpoſuiſſe neceſſe eſt, aut apertiſſime confunduntur *caduca* cum *vacantibus*. Videtur autem ex Ill. HEINECCII ſententia Legis Papiae capitulum de bonis Vacantibus maxime regulam illam reſpexiſſe, *qua non adita hereditas non transmitti* dicitur.[e] Regulae rationem vix aliam dabunt, quam a DVARENO[f] allatam, et ex ſtudio augendi aerarium deductam, adeoque Papiae Legis rationibus innixam et forte cum eadem natam, quod in tantis antiquitatum tenebris aliis eruendum lubens relinquo. Sed licet concedam, eam ex principio illo, quod ſola hereditatis delatio absque aditione heredi extraneo nihil iuris in hereditate tribuat, proueniſſe, et eſſe lege Caducaria antiquiorem; vix tamen ante legem hanc aerario hereditatem deſtitutam delatam fuiſſe, affirmare auſim. Videmus autem, quod lex Papia, quum hereditatem,

c Sic *caduca* ap. TACIT. L. III. c. 28. Vacantia dicuntur; it. *in l. 30. C. Th. de Petit. et Vltrodat. l. 5. C. de B. V.* et contra etiam expreſſe diſtinguuntur, vt in *l. ſ C. de B. V.* vbi *Vacans Cadensque dicitur patrimonium* et in *l. 20. §. 7. D. de hered. pet.*

d in Comment. ad L. Pap. Popp. p. 418.

e l. vn § 5. C. de cad. toll. l. 7. eod. de I. D.

f ad tit. de Omitt. l. acquir. her.

tatem, mortuo ante eius aditionem herede, fiſco addicat, tanquam Vacantem, ſenſu prorſus ſingulari *vacantium bonorum* appellatione [g] vtatur, quum, herede ſcripto aditionem negligente, heres ſanguinis vinculo ab inteſtato illam capere poſſit, quem ex ſententia Legis Caducariae, illa adhuc vigente, fiſcus excludebat. Sed quum haec fiſci acquiſitio aeuo Iuſtiniani exoleuerit, haec notaſſe proderit ſaltim ad veteris iuris reliquias rite intelligendas. Ceterum *bonorum Ereptitiorum* nomine (de quibus pariter ac de Caducis infra plenius ſum acturus) ea veniunt, quae, heredi aut legatario tanquam indigno ablata, ad fiſcum deferebantur. Haec quum poenae ſpeciem referant, et ex variis cauſis naſcantur, a Caducis non minus, quam Vacantibus bonis diſtinctiſſima eſſe, quilibet facile perſpicit, licet caducorum appellatione in *l. 9. D. ad Sct. Silan.* veniant.

§. VII.

His itaque praemiſſis, facili negotio caſus illos eruere licebit, quibus bona defunctorum, herede deficiente, vacare ſenſu proprio dicuntur, eo effectu, vt fiſcus eadem, ceu res nullius, queat occupare. Primario hoc contingit, vbi *defuncto cuidam ſine teſtamento nemo ſupereſt, cui ex legum prouiſione hereditas debetur.* Palmariam huius argumenti ſedem iam ſupra adduxi, nimirum *l. 4. C. de B V.* vbi Imperatt. fiſcum ad ſucceſſionem vocant, *ſi nullum ex qualibet ſanguinis linea vel iuris titulo legitimum reliquerit inteſtatus heredem.* Huic addenda eſt Theodoſii et Valentis conſtitutio, [h] quae inter eos, qui fiſco praeferuntur, *vxorem et maritum* refert. Tria igitur requiruntur, antequam fiſco ius bona vacantia capiendi enaſcitur, vt ſcilicet nec adſit diſpoſitio teſtamentaria, nec heres, cui ſanguinis propinquitas defuncti bona deferat, nec alius denique, qui ſingulari legis beneficio fiſcum excludat. Haec ſi expendas, fiſcum in ſubſidium quidem ſaltim

g Proprie enim Bona Vacantia ſignificare ea, quae legitimo herede ab inteſtato deſtituuntur, ex ſuperioribus patet.

h in l. 2. C. de Petit. Bon. ſubl.

Digitized by Google

admitti deprehendes, idque ſingulari aequitatis argumento, ne de ſuo libere diſponendi facultas, cuiuis indulta, pereat, aut ne corruat ius, ſanguini conceſſum, gentibusque fere omnibus aequitatis ac prudentiae rationibus commendatum; hunc tamen praecipuum obſeruabis eſſe caſum, quo exiſtente, fiſco ſummo iure, ratione legibusque optime ſtabilito, debeatur hereditas. Ait lex: *Si*, qui *inteſtatus* obiit, *nullum reliquit*, qui ipſum *ſanguinis linea* i. e. conſanguinitatis nexu attingat. Ad haec illuſtranda non eſt, cur ſucceſſionis legitimae hiſtoriam exhibeam, quae, ſi ad primas Romae origines regredi placeret, ob crebras legum mutationes et Praetorii iuris acceſſiones, quibus Romana iurisprudentia abundat, ſatis inuoluta eſt et perplexa. Scopulos enim ſalebrasque in hoc ſtadio ſuſtulit Iuſtinianus. Ingenioſa vero interpretum ſolertia, antiqua nouis miſcendo, nouas diſſenſionum cauſas excitauit. Occurret huius rei in iis, quae ſequuntur, exemplum vnum alterumue. Meo iam inſtituto propius accedit, vt, qui ſingulari legis prouiſione fiſcum antecedant, diſpiciam. Quam ſupra loco poſteriore in partes vocaui, Auguſtorum conſtitutio *coniugum* mentionem facit, quam priore loco attuli, *legitimum iuris titulo heredem* fiſco in ſucceſſione praefert, ſimulque voce hac generaliori indicat, praeter coniuges dari alios, quibus legum indulgentia proſpexit. Vt igitur de coniugibus ordiamur, conſtat, olim, quum vxores Romanae in manum mariti conuenirent, liberorum ſuorumque heredum in ſucceſſione iura easdem eſſe adeptas. [i] Quod poſtquam exoleuerat, ceſſauit ſimul omnis inter coniuges ſucceſſio, [k] idque cum primis ob frequentem diuortiorum vſum. Praetor, aequitate motus, matrimonio ad mortem coniugis durante, et deficientibus cognatis, quibus edicto proſpexerat, ſuperſtitem coniugem ad alterius defuncti hereditatem prae fiſco ſtatuit admittendum. Haec Praetoris legislatio, a Theodoſio

i VLP. in fragm. t. IX et XI. §. 13. conf. GRVPENI Vxor Romana.

k VLP. in fragm. t. XV. *Vir et vxor*, inquit, *inter ſe matrimonii nomine decimam capere poſſunt*. Sed leges decimarias non ad ſucceſſiones ab inteſtato, ſed ad teſtamentarias pertinuiſſe obſeruat CVIAC. L. III. c. 12.

ſio et Iuſtiniano[l] denuo confirmata, totum as hereditarium [m] defert coniugi, adeoque diſtincta eſt a partiaria ſucceſſione, quam ad ſubleuandam inopiam coniugis ſuperſtitis in nouellis Iuſtiniani conſtitutionibus [n] in certam bonorum portionem indultam legimus. Coniuges in excludendo fiſcum a vacantibus priuatorum hereditatibus excipit liberalitatis Imperatoriae ſocius, cuius cauſam poſt antecedentium Auguſtorum [o] conſtitutiones defendit *l. vn. C. Si liber. Imp. Socius*. Deſcendit ſingularis haec iuris diſpoſitio ex ſola beneficii Principalis benigna interpretatione, non vero, vt quidam fingunt, iure quodam accreſcendi innititur, quippe quod nullo vnquam caſu ad contractus applicatum noui. Ex ſingulari iuris titulo in hunc cenſum porro referendum eſt Decurionum [p] collegium aut militum vexillatio, ſub qua defunctus militauit, [q] nec non Nauiculariorum, Cohortalium et Fabricenſium conſortia, quod publica vtilitas ad excitandam ciuium quorundam fidem et ſolertiam introduxiſſe videtur. Sed his quidem, ab aliis prolixe expoſitis, et in foro vſum vix praebituris, immorari, non mei eſt inſtituti.

§. VIII.

Quin potius thema iam aggredior maioris momenti, dum ad ſecundum transeo caſum, qui bona efficit vacantia. Id quidem contingere poteſt, *ſi ad certum vsque gradum legibus reſtricta conſanguineorum ſucceſſio deprehenditur*. Lege ciuili hoc ita ſtatui poſſe, vix dubium, quum omnis ſuccedendi ratio ab arbitrariis gentium inſtitutis pendeat. Exemplum, quod huc ſpectat, ex ipſis veluti Iuſtinianei iuris viſceribus erutum, praebet ICtorum contentio, occaſione *§. f. I. de Succ. Cogn.* cum *Nou. CXVIII. c. 4.* collati,

l in l. f. C Th de Leg. Hered. l. vn. C. vnde V. et V. §. 3. I. de B. P.

m Quod olim coniugibus ne quidem ex voluntate defuncti licebat capere, niſi in caſibus, quos habet VLP. in fragm. t. XVI.

n N 53. c. 6. N. 117. c. 5.

o l. 1 et 2. C. Th ſi petit. ſoc. ſui her.

p v. l 4. C. de Her. Decur.

q l. 2. C. de Her. Dec. l. 7. §. 6. D. de iniuſto r. et irr. teſt. l. 4. §. 17. D. de fideic. libert.

collati, enata, qua diſputatur, an vltra X. agnationis et VI. cognationis gradum ſucceſſio ſit proferenda. Tango litem ICtorum veternoſam et cum ipſo iuris ciuilis ſtudio victuram et interituram, quae tum olim Interpretibus crucem fixit, tum adhuc varia ſententiarum diuortia excitat.[r] Non deſunt, quae in vtramque partem afferuntur, argumenta. Quum igitur tractationis ratio non ferat, iſtam controuerſiam intactam prorſus relinquere, et meum de hac re iudicium addere licebit. Id quidem a plerisque concedi deprehendo, diſcrimen, quod vetus Iuriſprudentia ex legibus Decemuiralibus non minus, quam ex praetoris Edicto agnatos inter cognatosque ſeruabat, poſteriore Iuſtiniani legislatione penitus ſublatum eſſe. Porro, ſi, quod caput rei eſt, ſententiam rationesque Nouellae conſtitutionis curatius expendo, extra dubitationem poſitum arbitror, id enixe egiſſe Imperatorem, vt, ſublatis Iuris Ciuilis et Praetorii differentiis, ſucceſſionis inteſtatae ordinem non redderet ſolum faciliorem, ſed extenderet quoque ac dilataret. Quid enim aliud innuunt verba, quibus Auguſtus legis conditor in Conſtitutionis nouae exordio praecipit, *prioribus legibus pro hac cauſa poſitis vacantibus, ea ſola ſeruari, quae nunc conſtituimus,* quam iuris, quod antea obtinuerat, abrogationem. Et ne quid ſcrupuli ſuperſit, quid clarius litem decidit, quam quae in fine tertii capitis poſita ſunt, et *omnes deinceps a latere cognatos* ad hereditatem vocant. Nulla ergo probabilitatis ratione illa, quae adduxi, verba ex anterioribus reſtringuntur, ficta in ſubſidium quadam latinitate iuridica, a ſenſu verborum communi ſine ſolido fundamento diuortium faciente, quum, ſi his, quae de ſucceſſione ſancita ſunt, iungas totam Iuſtiniani legislationem de caducis tollendis, abunde pateat, ipſum commodis ciuium fiſci emolumenta omnimodo poſtpoſuiſſe. Imo quum iam ante nouam conſtitutionem Imperator[s] agnatos etiam *longiſſimo gradu* ad ſucceſſionem

r Nouiſſime litem hanc perorauit Vir Illuſtr. PETR. A LVDWIG in Diſſ. *de Lege Caducaria,* Halae 1733.

s in §. 3. I. de Leg. Agn. Succ. §. f. I. de Seru. Cogn.

nem admiſerit, non improbanda mihi verborum,[t] *et ſi decimo gradu ſint*, illa interpretatio videtur, qua ampliatae potius, et ad gradus remotiores extenſae, quam reſtrictae, ſucceſſionis exemplum praebent. Nec valet in contrarium, quod non nulli obiiciunt, teſte VLPIANO,[u] *gentilitias ſucceſſiones in deſuetudinem abiiſſe.*[x] Equidem fateor, rariores fuiſſe ſucceſſionis agnaticae remotioris caſus, poſtquam Praetor cognatos ad bonorum poſſeſſionem admiſit, et hinc vero reddi ſimilem coniecturam, cum reliquis iuribus gentilitiis gentilium quoque ſucceſſiones ſenſim ſenſimque exoleuiſſe. Sed quis inficias ibit ſanus rerum cenſor, qui fiſci iura circa hereditates admodum coarctata conſiderat, antiqua inter agnatos gentileſque differentia exploſa, potuiſſe vtroſque ſub agnatorum appellatione ad ſucceſſionem nouo iure vocari. Adſtipulari videtur huic ſententiae ipſe VLPIANVS,[y] agnatos ſequentem in modum definiens: *agnati ſunt cognati virilis ſexus ab eodem orti: nam poſt ſuos et conſanguineos ſtatim mihi proximus eſt conſanguinei mei filius, et ego ei: patris quoque frater, qui patruus appellatur: deinceps ceteri, ſi qui ſunt, hinc orti* IN INFINITVM.[z] Ad haec eo melius illuſtranda, e re forſitan erit, de antiqua inter agnatos et gentiles differentia quaedam hic adiicere. Gentem apud Romanos et Patricios et plebeios habuiſſe, obſeruat SIGONIVS.[a] Gentilitatis effectum inter alia in ſucceſſione ab inteſtato poſitum fuiſſe, legibus decemuiralibus cautum, diſtinctique agnati a gentilibus ea ratione, vt, qui ab eadem ſtirpe prognati, agnati, diuerſarum vero ſtirpium conſanguinei gentiles dicerentur. In vna ergo

t quae in §. f. I. de Succeſſ. Cogn. habentur. v. AVERRANII Interprett. c. 13. num. 1.

u in fragm. tit. XVI. §. 1.

x Argumenti huius neruum vix perſpicies, niſi conferas, quae diſſerit Illuſtr. A LVDWIG in Diſſ. cit. cap. V. §. 5.

y in l. 2. §. 1. D. de ſuis et leg. hered.

z Eandem ſententiam de cognatis in infinitum ad ſucceſſionem admittendis, adducto magno auctorum numero, amplectitur Vir Magnif. IO. KIEFEKER Reip. patriae Synd. meritis inſignis, in Diſſ. de Neglectis Fiſci Conim. p. 72 ſq.

a de Ant. Iure Rom. L. I. c. 7.

go gente plures ſtirpes auo, proauo, abauo connexae ſunt.[b] Erant gentiles itidem agnati, ſed remotiores, qui, deficientibus agnatis, cognatorum progenie excluſa, ad ſucceſſionem vocabantur, ne bona ex familia genteque in aliam, ſed de domo in domum, tranſirent.[c] Admiſſis vero cognatis, et ſublata, quae foeminas excludebat, lege Voconia, imo matre ad liberorum ſucceſſionem per SCtum Tertullianum vocata, gentilitiae ſucceſſiones rariores factae inde ſenſim, vt ſupra iam memoraui, exoleuerunt. Haec vt-ut ita ſe habeant, ſententiam tamen de agnatis, etiam remotiſſimo gradu a defuncto diſtantibus, ad ſucceſſionem ex iure Iuſtinianeo admittendis, non infringunt. Nam qui olim agnatorum gentiliumque appellatione veniebant, nunc ſoli agnati dicuntur, nec vlla gentilium in legibus Iuſtiniani occurrit mentio, licet agnatorum longiſſimo gradu diſtantium meminerint. Quin potius nullum ſucceſſionis, ad ſtirpem vel lineam expreſſe reſtrictae, in iisdem arbitror occurrere veſtigium.

§. IX.

Vltimus denique, quo bona in fiſci commodum vacare dicuntur, caſus enaſcitur, quando *herede legitimo deſtitutus teſtamentum condidit, ſed quod nullitatis vitio laborat, aut quod, herede ſcripto non adeunte hereditatem, euaneſcit.* Hoc enim emergente, ſucceſſio ad cauſam inteſtati redit. Innuit hoc Imperator:[d] *inteſtatus*, inquiens, *decedit, qui aut omnino teſtamentum non fecit, aut non iure fecit, aut id, quod fecerat, ruptum irritumque factum, aut ſi ex eo nemo heres exſtiterit.* Teſtamento ergo nuda reuocatione in praeſentia trium ad minimum teſtium poſt elapſum decennium rupto, ſi deficiat heres ab inteſtato, fiſco locum eſſe, dubio caret. Idem de tabularum cancellatione, inciſione, aut heredis deletione dicendum, quum in genere, quaecunque nullum reddunt teſtamentum aut deſtitutum, huc pertineant. Nullitatis vitia ſiue ex neglecta forma ſolenni, ſiue ex teſtatoris heredisue perſona

b FRANC. CONNANVS l. 2. c. 2.
c BYNKERSHOEK Obſ. L. II. c. 1.
d pr. I. de hered. quae ab inteſt.

perſona naſcantur, heredem ab hereditatis acquiſitione arcere ipſamque delationem impedire, inter omnes conſtat. Quas antiqua Roma in condendis teſtamentis adhibuit ſolennitates, ex antiquitatum tenebris eruere, inſtituto parum proderit, nec fuſius perſequar notiſſima illa, quae Iuſtinianus obſeruari voluit. Imo nec de eo loquar, quanta aequitate neceſſitateque innitatur illa condendis teſtamentis praeſcripta forma legis, quum vix aliud negotium fidei ſecuritatisque gratia tam circumſpecta legislatoris diſpoſitione indiguerit. Sufficit mihi, indicaſſe, ſublatis iam caducariis legibus, ſi deſtituatur teſtamentum, heredes ab inteſtato vocari, [e] adeoque, his demum deficientibus, fiſcum iure bona occupare. Sunt quidem, qui nouella [f] conſtitutione adeo proſpectum credunt vltimarum voluntatum valori, vt vix ac ne vix quidem caſus teſtamenti deſtituti emergere queat. Namque putant, herede aditionem detrectante, a iudice admonito, et anni ſpatio elapſo, fidei commiſſo legatisque honoratos adire hereditatem, aut his eam repudiantibus cuiuis extraneo ſuſcipere eandem cum onere, teſtamento adiecto, licere, nec fiſcum, niſi poſt hos omnes, admitti. Sed quicquid alii ſentiant, euicit LAVTERBACHIVS, [g] nouellam iſtam legem non niſi ad eum caſum pertinere, quo heres hereditatem adiit et adimplere defuncti voluntatem detrectat. Haec de teſtamentis meditanti ſuccurrunt quaedam breuibus memoranda. Alterum eſt, quod peregrini in Republ. Romana nec actiua, nec paſſiua teſtamenti factione gauiſi ſint. [h] Peregrinos enim ante conſtitutionem Antonini [i] iure Quiritium publico priuatoque, ad quod ſucceſſiones teſtamentariae vel maxime referebantur, penitus caruiſſe, niſi Principali beneficio ad aliqualem eiusdem vſum admiſſi fuerint, teſtantur interpretes, qui in iuris veteris reliquiis exponendis operam poſuerunt. Sed poſt ciuitatem, ingenuis omni-

C bus

e l. 1. D. de ſuis et leg. her. l. 64. D. de V. S. l. 20. pr. D. de B. P. contra tab.
f Nou. I. c. 1.
g in Diſſ. de Teſtam. Deſt.
h l. 1. C. de hered. inſt. l. 6. §. 2. D. eod.
i l. 17. D. de Stat. hom.

bus communicatam, eius generis conceſſionibus locum fuiſſe, tum quoad barbaros, tum quoad liberarum vrbium ciues, notauit SCHVLTINGIVS.[k] Hanc autem peregrinorum ab hereditatibus excluſionem ſublatam eſſe,[l] inter omnes conſtat. Altero loco occurrit reſcriptum D. COMMODI,[m] *obſidum bona, ſicuti captiuorum, in fiſcum eſſe cogenda.* Addit MARCIANVS ex reſcripto D. Fratrum limitationem,[n] in ſimili caſu a Romanis vbiuis adhibitam, *niſi togae Romanae vſu accepto.* Erant obſides quodammodo in captiuitate conſtituti, quorum ſtatus inter ſpem libertatis et ſeruitutis metum pendebat: hinc mortui in captiuitate, ſeruorum inſtar, heredem ſcribere nequibant.

§. X.

Actum hactenus eſt de indole ac natura bonorum vacantium, deque iure, quod fiſco competit, eadem occupandi: iam de modo ius iſtud citra iniquitatis ſpeciem exercendi diſſeram.[o] Qui apud Romanos fiſco bona vacantia denunciabant, *Delatores*[p] dicebantur, genus hominum priuatorum fortunis ſaepius exitioſum.[q] Roma, hoc malum plus vice ſimplici experta, inter optimos Principes Traianum ſuum[r] ſuosque Antoninos collaudat, quod calumnias delatorum repreſſerint.[s] Quumque delatores, teſte SVETONIO,

k ad VLP. fragm. T. 19. §. 4.

l Authent. Omnes peregrini C. de Succeſſ.

m in l. 31. D. de I F. conf. l. 11. D. qui teſtam.

n l. 32. D. de I. F.

o Quae in hac procedendi ratione bonis Vacantibus, Caducis et Ereptitiis communia ſunt, quae ſingulis propria, rerum intelligens iudicabit.

p *Delatorum* nomen quatenus etiam nonnullorum criminum accuſatoribus tribuendum ſit, inquirere, non huius eſt loci.

q Egregie de eo TACIT. L. III. c. 19. de Legis Caducariae incommodis locutus: *Multitudo,* inquit, *periclitantium gliſcebat, quum omnis domus delatorum interpretationibus ſubuerteretur.*

r conf. omnino elegantiſſ. PLINII Panegyricum c. 34 ſqq. Ibi inter alia, *Vidimus,* inquit, *delatorum iudicium, quaſi graſſatorum: non ſolitudinem illi, non iter, ſed templum, ſed forum inſederant . . . . Exſcidiſti inteſtinum malum. Nihil ſeculo dignius, quam quod contigit deſuper intueri delatorum ſupina ora retortasque ceruices.*

s v. V. Ill. I. G. HEINECCIVS ad L. I. et P. P. p. 445. et FRANC. POLLETVS Hiſt. For. Rom. L. IV. c. 2.

Digitized by Google

TONIO,[t] irritet Princeps, qui non caſtigat, Conſtantinus, Optimorum Principum probitatem imitaturus, delatorum temeritatem graui et vltrice Sanctione[u] coercuit. Ita enim Auguſtus: *Omnes iudices inuigilare praecipimus, delatores, ſine fiſci aduocato denunciantes, poena afficere.* Puniendus ergo delator, ſiue vera, ſiue falſa deferat, Aduocato fiſci in conſilium non adhibito, idque ideo conſtitutum, ne temere moleſtus ſit ciuibus, aut fiſco falſa ſuggeſtione illudat. Equidem alium fuiſſe hunc Fiſci Aduocatum, alium Procuratorem hereditatum,[x] nec poſteriorem a delatore ſimul in conſilium fuiſſe adhibendum, ſatis inter omnes arbitror conſtare. Procurator enim ad colligenda lucra hereditaria conſtitutus: Fiſci vero Aduocatio, quam Hadrianum inſtituiſſe ferunt,[y] ad tuenda fiſci iura, iudiciali expoſita cognitioni, comparata erat. Ad partes ergo Aduocati pertinebat, delatori aſſiſtere, eiusdemque intentionem exſequi, vt loquitur PAVLVS;[z] ad Procuratores, occupare bona, eaque in fiſci referre rationes. Pergit Conſtantinus, Imperator:[a] *Apertiſſimi enim iuris eſt, vt, quod ex cuiusque patrimonio ceciderit in caſum, et legibus et recto iuris ordine aduocatis agentibus*[b] *vindicetur.* Quicquid ergo, ſiue tota ſit hereditas, ſiue legatum, quod caducum ſit, fiſco vindicandum, non niſi auditis, quorum intereſt, in fiſcum inferendum eſt. Non enim ius fasque patitur, vt iuſtior alterius petitio negligatur, et vtut Principis et reipubl. interſit, ne fiſci commodis detrahatur, non tamen ideo quaeſito cuiusdam iuri derogandum eſt. Saluis enim priuilegiis ſuis vtitur fiſcus iure priuatorum, nec eum, qui in dubio contra ipſum pronun-

 ciaue-

t in Domitiano c IX.
u in l. 5. C. de Delat.
x cuius meminit *l.* 32. *D. de I. F.* De eius officio v. Ill. GVNDLING. de Princ. her. ex teſtam. ciu. c. V.
y v. SPARTIANVS in Hadr.
z in l. 5. §. 13. D. de his, quae vt indign.
a in l. ſupra cit.
b Sic ſi quis, qui in bonis eſſe dicebatur ad fiſcum delatis, ad libertatem proclamauerit, huiusmodi liberales cauſas, ſi non, interueniente fiſci aduocato, deciſae ſint, in integrum reſtitui iuſſit HADRIANVS in l. 3. §. 9. D. de I. F. j. l. 7. D. de I. F.

Digitized by Google

ciauerit, delinquere, putauit iam MODESTINVS.[c] Addit Auguſtus, eoque inſigne humanitatis iuſtitiaeque documentum praebet: *Sed quia nonnulli praecipites ſecundum ius poſſeſſa patrimonia deferre non ceſſant.* Haec in denunciando praeceps ſolertia, ſine fiſci Aduocato exercita, ſine dubio praemiis illis excitabatur, quibus delatores probata cauſa fruebantur. Olim quarta bonorum, in fiſcum illatorum, pars in praemium cedebat delatoribus, quos inde *Quadruplatores* dictos veteres auctores[d] perhibent. Sed negari nequit, haec varie temporis decurſu ſeruata fuiſſe aut mutata, prouti Caeſares vel durius vel moderatius fiſci commodis ſtudebant: Denique poenali ſanctione in temerarios delatores animaduertit Conſtantinus: *Damus omnibus licentiam, qui ſe laeſos exiſtimant, contra delatores ſeueritatem iudicum implorare ferro diſtrictam.* Ne tamen innoxia delatoris intentio poenae exponeretur, licebat vnicuique abolitionem petere, ſi ex errore ſe denunciaſſe probaret. Annotat MAVRITIANVS,[e] ſenatum cenſuiſſe, ſi delator errauerit, dandam imprudentiae veniam, ſin autem de calumnioſa delatione conſtet, eandem ſubiturum poenam, quam, qui cauſam prodit, ferre tenetur. Non alia illa fuit, quam per legem Remmiam ſtatuta, ſtigmatis inuſtio et deportatio in inſulam. Quod ferro repreſſa ſit delatorum audacia, non aliud legis exemplum deprehendo, quam quod CVIACIVS obſeruauit,[f] delatorem tertia vice doloſe denunciantem capite puniri. Memorabilis eſt ad delatorum auſus reprimendos lata a TRAIANO[g] conſtitutio, a Conſtantino repetita, qua ſe ipſum deferre licebat, eo effectu, vt dimidiam bonorum aut nouiori iure tertiam retinere partem praemii titulo permitteretur, modo cauſa nondum ad aerarium

c in l. 10. D. de I. F.

d SVET. in Ner. c. 10. et IVLIVS CAPITOL. in M. Anton. Pio c. 1. Quod in l. 13. §. 5. *vulgare praemium* dicitur, de quarta parte explicat CVIACIVS L. XIX. Obſ. c. 3. in cuius locum iure nouo in *l. ſ. C. de Delat.* octauam partem ſucceſſiſſe putat.

e in l. 15. D. de I. F.

f ad h. l. ex l. 12. et 13. C. Th de petit.

g in l. 13. D. de I. F. l. vn. C. de his, qui ſe deferunt.

Digitized by Google

rarium delata eſſet, ſeque ipſi deferrent eius, quod capere non poterant, poſſeſſores. Sed pertinuiſſe hoc delatorum moleſtias euitandi medium ad ſolam cauſam caducorum prodit tum PAVLVS,[h] qui ſummouendum ab hoc praemio cenſet eum, qui vt indignus poſſidet, tum Conſtantinus, qui de ſola fideicommiſſi taciti ſpecie loquitur, nulla vacantium bonorum mentione facta.

§. XI.

Bonis per delationem fiſco nunciatis, quae vlterior ſit procedendi ratio, THEODOSIVS et VALENTINIANVS Comiti rerum priuatarum reſcripſerunt.[i] Res priuatae Principum, ſiue, quod ſecundum ſtatum regiminis ſub Imperatoribus Conſtantinopolitanis eodem redire videtur, Principum Domanio deſtinati reditus quoad adminiſtrationem quoque a fiſco ſeu publico aerario erant ſeparatae, Comitisque rerum priuatarum miniſterio fideique concreditae. Huic tamen poteſtatem fuiſſe, rebus etiam fiſcalibus ſeſe quodammodo immiſcendi, ex VALENTINIANI et VALENTIS reſcripto[k] colligitur. Ceterum inter tres Comitum ordines, a Conſtantino inſtitutos, hunc illuſtri loco poſitum fuiſſe,[l] hiſtoria docet. In bonis Vacantibus et Caducis, quae ad aerarium delata perhibentur, quinam ipſis agendi modus fuerit adhibendus, breuibus iam explicabo. Iubentur[m] autem mitti *certi Palatini electi et iureiurando obſtricti.* Palatini[n] dicebantur, qui in Palatii ſcriniis militant, et ad Comitum iuſſiones parati l. Palatinorum Magiſtro l. Comiti ſacrarum et priuatarum Largitionum ſuberant. Miſſi hi in Prouincias vrgeant Praeſides, vt, Patrono fiſci praeſente, diligenter inquirant, *cuius vacans cadensque fuerit patrimonium, quantumque vel quale videatur.* Satis haec indicant, et *cauſae cognitionem* fuiſſe adhibendam, et *bonorum annotationem* ſuſcipiendam. Non tamen voluiſſe Imperatores cuiusuis iuri quaeſito detrahere, fiſcumque rapaci

h in l. 13. §. 9. D de I.F.
i in l. 5 C. de B. V. j. l. 3. eod.
k in l. 1 C de Offic. Com. rer. priu.
l v IAC. GVTHERIVS de Offic. Dom. Aug. L. III. c. 25.
m in l. ſupra cit.
n Horum ordines erudite deſcribit CVIAC. ad L. XII. t. 19. Cod.

rapaci manu ditare, tum conſtitutio adducta, tum alia veterum loca comprobant. [o] Suſcipienda igitur eſt cauſae cognitio, nec temere a limine iudicii repellendus, ſi quis ſit, qui titulum iuſtiorem, ac ſolidius hereditatem vacantem ſibi vindicandi fundamentum docere valeat. Fiſcus vero tunc demum obtinebit, vbi de ipſius cauſa, graui defenſione munita; de aduerſariorum vero partibus, probationis defectu laborantibus, ſatis conſtabit. Euidenter hoc innuunt verba: *vt, cum, data reclamandi copia, nullum id vel iure poſſidere, vel vindicare conſtiterit, locumque aerario factum eſſe.* Non negligendam vero eſſe *bonorum annotationem*, docent verba, *quae quale quantumque ſit patrimonium,* inquirere praecipiunt. Cuius quidem rei deſignationem eleganter ſpecificantem exhibuerunt VALENTINIANVS VALENSque. [p] Bonis vero controuerſis, ſi nemo ſit, qui eadem poſſideat, aut datur curator, aut ſtatim fiſci nomine eorum apprehenditur poſſeſſio. Sin adſit, qui obnitatur, aequitatem ſingularem continent, quae in hanc rem conſtituta habemus, [q] *ne quod ſigillum vel deſcriptio, vel alia vlla innouatio interueniat ſuper rebus nunciatis ante ſententiam ex ſcripto latam.* Quum tamen multum interſit, rite conſignare bona litigioſa, ipſa annotatio et in hoc caſu non eſt omittenda, niſi vel metum diſſipationis abeſſe, vel in poſſeſſoris perſona ſatis ſibi cautum eſſe fiſcus arbitretur. Silentio non praeteribo pertinentem huc ſingularem procedendi rationem, quam Graeca conſtitutio, ex Baſilicis excerpta, exhibet, cuius ſententia in compendium redacta eo redit. [r] Arcet a delatione Aduocatum fiſci, ſeruum deferentem dominum, easque perſonas, inter quas intercedit reuerentiae vinculum, ſportulas determinat, contradictorem poſt edicta publice propoſita intra XXX. dies audiendum, eundemque ad cautionem adigendum, et, ſi vel ab initio nemo veniat, fiſco contradicturus, vel, qui venit, poſt interpoſitam cautionem latitet, fiſcum in poſſeſſionem

o l. f. C. de Off. Com. rer. priu.
p in l. 7. C. de B. Damn.
q in l. f. C. de Off. Com. Iur. priu.
r Habetur haec conſtitutio ap. CVIAC. ad L. X. Cod. p. m. 39 ſqq.

ſionem ſaluo cuiusuis iure mittendum, in rebus mobilibus vero exactius poſſeſſorem perquirendum ſtatuit, conuictumque ad rerum earumque aeſtimationem ſumtusque fiſco reſtituendos compellit, et denique per calumniam deferentes bonis mulctandos verberibusque caſtigandos praecipit. Sententia igitur pro fiſco lata, bona in fiſci rationes et patrimonium deferuntur, id quod *incorporationem* dicere ſolemus, et quaſi ad corpus rerum fiſcalium redactionem. Peragebatur incorporatio rerum in tabulas fiſcales relatione, et quoad praedia ſolenni *tituli velique regii* affixione.[s] In more poſitum erat veteribus ſecuritatis gratia et ad deterrendos eos, qui ſuum repetere forſitan vellent, litigioſis priuatorum etiam praediis potentiorum titulos affigere. Innuit hanc morum corruptelam AVGVSTINVS:[t] *ne domum ipſius petat aliquis, ponit ibi titulos potentis, titulos mendaces, ipſe vult eſſe poſſeſſor, et frontem domus ſuae de alieno titulo muniri, vt, quum titulus lectus fuerit, conterritus quis potentia nominis, abſtineat a petitione.* Titulos quoque regios ſeu fiſcales priuatorum praediis imponebant potentiores, eaque ſub hoc inuolucro paullatim ſibi vindicabant. Vtrunque ſeueriſſimis vindicatum poenis leges teſtantur,[u] niſi factum fuiſſet, impetrata a Principe venia. Vbi vero, praediis ad fiſcum legitime delatis, rem ad fiſci patrimonium pertinere, probandum erat, tituli Imperatorii impoſitio permittebatur, ſolenni actu perficienda. Sic fiſci acquiſitio procedebat, legibus, quae formam negotio dabant, ad aequitatis regulam vbique compoſitis.

§. XII.

Succeſſionum in genere eam conſtat eſſe rationem, vt, qui commodo fruatur, onera quoque eidem adhaerentia ferat. Idem illud an de fiſco, bona vacantia capiente, dicendum ſit, iam ad meam pertinebit diſquiſitionem. Cardo huius quaeſtionis in eo voluitur, an *hereditario iure* fiſco eius generis bona acquirantur, idemque

s l. 3. C. de B. V.
t ad Pſalm XXI.
u v. Tit. C. de his, qui pot. nom. et Tit. C. vt nemo priu.

Google

idemque pro *herede* reuera ſit habendus. Ferias hic mihi fecit STRYCKIVS, qui neruoſe ac ſubtiliter argumentum illud pertractauit, [x] tres diſtinguendo caſus. Nimirum quum bona vacant, et vere ſunt ἀδέσποτα, nihil obſtat, quo minus fiſcum heredis locum ſubire dicamus. Refert Praetor [y] in ſucceſſorio edicto inter eos, qui heredis titulo ſuccedunt, fiſcum, eumque probabili argumento eodem, quo ceteros, iure ad capienda bona admittit. Quum hereditas indigno aufertur, qui ſecundus eſt caſus a STRYCKIO expoſitus, fiſcus in locum heredis ſuccedit, et adeo heredis loco habendus ad praeſtanda, quae ex teſtamento valido naſcuntur, obligatur. Vbi vero ex delicto fiſcus bona capit, heredis eum titulo mactare vix patitur iuris analogia. Id enim, vt recte obſervat STRYCKIVS, ſaepius viuo contingit poſſeſſori, viuentis autem nullam dari hereditatem notiſſimum eſt. Quod ſi vero non poſſidenti hereditas delata ob crimen ſubtrahatur, id quidem fiſci ius, eam poenalem animaduerſionem ex ſupremae iurisdictionis titulo ego arbitror eſſe deducendam. Quo ergo caſu cadens vacansque defuncti patrimonium ſuſcipit, eiusdem perſonam fiſcus repraeſentat, ad cuius voluntatem implendam factaque praeſtanda aeque ac quilibet alius heres tenetur. Idem confirmat MARCIANI [z] deciſum: *Qui inteſtato decedit, et ſcit bona ſua ad fiſcum peruentura vacantia, fidei fiſci committere poteſt.* Quod ſi enim defuncto licebit, fiſcum onerare, idem honoratis, (vt ICti loqui ſolent) adeoque hereditatio iure ſuccedentibus accenſeri pari ratione poterit. Ad caſum caducae vel hereditatis vel legati STRYCKIVM l. c. ea de re non reſpexiſſe opinor, quia caducarias leges a Iuſtiniano abrogatas eſſe nouerat. Idem vero de his erit dicendum, quod de ereptitiis adſtruxi. Egregio, imo claſſico teſtimonio id probat IVLIANVS: [a] *quoties lege Iulia bona vacantia* (qua appellatione non ſolum, quae proprie caduca fiebant, ſed ea etiam

x de Succeſſ. ab inteſt. p. 362.
y in l. f. D. de Succ. Edict.
z in l. 114. §. 2. D. de Leg. I.
a in l. 96. §. 2. D. de Leg. I.

Digitized by Google

etiam veniunt, quae, mortuo ante aditionem herede, vacabant) *ad fiſcum pertinent, et legata et fideicommiſſa praeſtantur, quae praeſtare cogeretur heres, a quo relicta erant.* Idem aſſerit CAIVS:[b] *Quum fiſco caduca bona defuncti addicantur, in eum legatorum actio datur.* Ita leges mirum in modum cernimus cum aequitate conuenire, quippe quae poſtulat, vt, qui velit commoda, eundem et onera ſequantur. Conſtat itaque, caducis ereptitiisque bonis onus adſcriptum inhaerensque ex voluntate et facto defuncti fiſcum regulariter obligare. Namque in cauſis legis caducariae, aut ſi quicquam indigno aufertur, deſtitutum teſtamentum raro habebis. Sed finge iam, defunctum, cui deeſt heres ſanguinis, teſtamento ad iuris cynoſuram condito, deceſſiſſe, ſcriptumque heredem ius delatum repudiaſſe. Numne, exiſtente eo caſu, fiſcus ad legata praeſtanda obſtrictus erit? In varias hic abeunt ICti ſententias. Si verum eſt, quod ſuo loco aſſerui, nouellae conſtitutionis primae ſententiam ad caſum deſtituti teſtamenti nullatenus pertinere, corruit palmarium argumentum, quod affirmatiuam ſententiam tuetur. Nec eſt, quod IVLIANI locum in ſubſidium vocent, quem paulo ante adduxi, quum ille vacantia bona ex Lege Iulia ſupponat, non vero repudiata, aut teſtamentum, quod, nolente herede adire hereditatem, corruit, nec de fiſci ſucceſſione ſubſidiaria intelligendus ſit. His ergo poſitis, res redire videtur ad regulam iuris,[c] qua PAVLVS, *nemine ſubeunte hereditatem, vim omnem teſtamenti ſolui,* cenſuit. Corruente ergo teſtamento, ipſae quoque liberalitates eidem inſertae concidunt. Ceterum, alia plane eſt onerum, quae bonis inhaerent, pariter ac aeris alieni ratio. Ad haec enim, quocunque demum titulo priuatorum bona hereditaria ſibi vindicet, ſubeunda ſoluendaque fiſcus optimo iure obſtringitur. *Bona,* inquit PAVLVS,[d] *intelliguntur cuiuscunque, quae deducto aere alieno ſuperſunt,* et IAVO-

D

b in l. 9. D. ad SCt. Silan.
c in l. 182. D. de R. I.
d in l. 39. §. 1. D. de V. S.

Digitized by Google

IAVOLENVS: [e] *Non poſſunt vlla bona ad fiſcum pertinere, niſi quae creditoribus ſuperfutura ſunt: id enim bonorum cuiusque eſſe intelligitur, quod aeri alieno ſupereſt.* Quid vero aeris alieni appellatione veniat, explicat VLPIANVS, [f] *aes alienum*, inquiens, *eſt, quod nos aliis debemus.* Quum igitur debendi vox generalem ſenſum habeat et ad cuiuscunque generis obligationes, quae ab inuito exigi queunt, pertineat; fiſcus quoque in hoc acquiſitionis genere debitorum legitime contractorum numerationi ſubtrahere ſe iure neutiquam poteſt.

§. XIII.

Exhibui fiſcum ſucceſſionis oneribus ſubiectum: eundem iam ſiſtam priuilegiis munitum, ac tutum prae aliis in hereditate damnoſa. Hic mihi primo ſtatim loco memoranda venit inſignis illa praerogatiua, *quod vltra patrimonii vacantis vires fiſcus haud teneatur, inſimulque ab inuentarii conficiendi neceſſitate ſit immunis.* Poſterius ſolide et copioſe euicit STRYCKIVS. [g] Sed putent alii, hoc tanquam ius fiſci mere ſingulare eſſe conſiderandum et ſolo legum fauore inniti. Ego vero et ideo id concedendum arbitror, quod, vt ſuo loco legum auctoritate probatum dedi, fiſci acquiſitio poſt nunciationem ab ipſa inuentarii confectione initium capere debet, adeoque ſecundum iuris ordinem confecta bonorum conſignatio deeſſe nequit. Licet vero, vel neglecta ſolenni annotatione, male proceſſerint Praefecti Fiſcales, vel inani hereditati ſeſe immiſcuerint, vel poſtea aes alienum prorſus improuiſum emergat, nihil tamen actum eſt, inuentariique haud confecti poenae et incommoda in fiſcum non cadent. Sic etiamſi ſit exiguus hereditatis cenſus, non tamen niſi ſecundum patrimonii modum obligaretur. *Si purae ſubſtantiae morientis tranſcenderet menſuram legatorum datio, retineret Falcidiam.* [h] Nec periculum rerum hereditariarum ferret, quod alias ad heredem, inuentario non condito,

e in l. 11. D de I. F.
f l. 213. D. de V. S.
g de Succeſſ. ab Int. Diſſert. V.
h Nou. I. c. 2. §. 2.

dito, pertinere nonnulli aſſerunt. Salua itaque eſt fiſci res, etſi non eo aſcendant vires hereditariae, vt ſoluendorum numerationi ſufficiant. Optime hoc probant ea, quae tradit CALLISTRATVS:[i] *an bona, quae ſoluenda non ſunt, ipſo iure ad fiſcum pertineant, quaeſitum eſt. Labeo ſcribit, etiam ea, quae ſoluendo non ſint, ipſo iure ad fiſcum pertinere. Sed contra ſententiam eius Edictum perpetuum ſcriptum eſt, quod ita bona veneant, ſi ex his fiſco acquiri nihil poſſit.* Duo animaduerto momenta a Iureconſulto propoſita. Alterum ipſam conſtituit regulam, quae bonorum vacantium *dominium fiſco ipſo iure acquiri* docet. En priuilegium prae omnibus fere huic proprium! Apud Romanos enim ipſa *hereditatis delatio* non niſi facultatem et ſpem bona acquirendi, *aditio* demum ius, eorundem ſubſtantiam afficiens, tribuebat. Alterum regulam ad hereditatem obaeratam transfert, et, reiecta Labeonis ſententia, caſum hunc excipiendum, bonaque haſtae ſubiicienda eſſe ſtatuit, vbi nihil fiſco commodi ex iis ſit ſperandum. Quod ſi igitur pateat, illum nihil, ſuſcepta hereditate, lucrari, Edicto perpetuo impeditur adeo ac prohibetur illa, quae ipſo iure alias fiſco accreſcit, acquiſitio. Quis igitur iam arbitrabitur, vltra bonorum, in quae tanquam vacantia ſuccedit, valorem fiſcum a creditoribus cum effectu poſſe conueniri? Quis cenſebit, perſonae myſticae id damno cedere debere, quod in illius emolumentum ſat euidenter conſtitutum eſt?

§. XIV.

Eminet porro fiſcus in eo, quod *in eius fraudem alienata, reſciſſo contractu, ad illius rationes reuocantur.* Huc ſpectat regula, quam ſuggerit HERMOGENIANVS,[k] et qua aerarii commodo optime proſpicitur: *Qui aliquid ſciens in fraudem fiſci ſuſcepit, non ſolum rem, in qua fraudis miniſterium ſuſcepit, ſed alterum tantum*[l] *reſtituere cogitur.* Applicat eandem ICtus ad varia facto-

 rum

i in l. 1. §. 1. D. de I. F.
k l. 46. §. 1. D. de I. F.
l Quadrupli poena occurrit in l. 45. §. 13. D. et l. 8. C. de I. F.

Digitized by Google

rum genera. Accedit ex PAVLI ſententia, quod ea quoque fiſcus reuocet, quorum acquiſitio ex heredis negligentia omiſſa eſt: *aeque enim in omnibus fraus punitur.* [m] Et certo damni eadem eſt ratio, ſiue ex omiſſione lucri, ſiue ex alienatione fraudulenta oriatur. Imo quum ad fiſcum ipſo iure deuoluatur bonorum dominium; in illius detrimentum poſt dominii translationem alienata nullitatis vitio laborant, et, licet dolus in alienando abfuerit, iure tamen a fiſco vindicantur. Videtur his obſtare VLPIANI locus: [n] *Si aliquis mortis cauſa donauerit, et poena fuerit capitis affectus, remouetur donatio vt imperfecta:* [o] *quamuis ceterae donationes,* SINE SVSPICIONE POENAE *factae, valeant.* [p] Subſiſtunt igitur donationes purae citra fraudem factae. Id enim ex poenae ſuſpicione donatur, quod ad minuendum ius fiſci a ſciente in alium transfertur. Inde a nonnemine forſitan colligi poſſet, ſuſtineri alienationem fiſco damnoſam, quae citra doli ſuſpicionem facta eſt. Sed ſalua res eſt. Perperam enim a donatione ad bonorum vacantium, caducorum, ereptitiorum imminutionem argumentaberis. Hanc vero vbi in fiſci detrimentum ſuſceptam animaduertimus, non de facto defuncti, quippe quod fiſcus ceu ſucceſſor vniuerſalis iam praeſtare debet, ſed de tertii negotio, et eius quidem plerumque, qui ſe legitimum reputat heredem, probabili forte iure munitum, quaerimus. Hic enim ſi

iudicio

m l. 45. pr. D. de I. F.

n l. 7. D. de Mort. cauſ. don.

o Quae enim in caſum mortis relinquuntur, valorem demum a momento mortis capiunt et in defuncto liberam de rebus ſuis diſponendi facultatem, ad tempus mortis vsque durantem, praeſupponunt.

p Huic legi obſtare videntur, quae ſcribit MARCIANVS in l. 15. C. de Donat. *Poſt contractum capitale crimen donationes factae non valent ex conſtitutione Diu. Seueri et Antonini, ſi,* (vt habet Vulgata), *condemnatio ſecuta ſit.* Ad haec extra contradictionis caſum conſtituenda notandum eſt, multum intereſſe inter vtriusque legis aſſertum Lex prior cum donationes, poenae ſuſpicione factas, pro nullis habeat, citra dubium praeſtruit in donante criminis commiſſi ſcientiam; adeoque eas tantum ratas declarat, quae ante commiſſum delictum factae ſunt. Quo poſito, poſterioris legis ſententia, quae de donatione poſt contractum crimen loquitur, cum priore ſatis bene conſpirat.

iudicio victus bona fiſco tradere compellitur, interimque citra fraudis ſuſpicionem quaedam alienauit; enaſcitur priuilegii vſus, quod eadem ſine ambagibus reuocare permittit. Tuetur haec, quae aſſerui, iuris illa diſpoſitio, quae creditoribus, moto bonorum concurſu, quaecunque ex iis alienata ſunt, ab illo etiam, qui doli haud particeps eſt, dummodo damnum ipſi non infligatur, vindicare concedit. [q]

§. XV.

In exercendo iure ſuo in hereditates priuatorum fiſcus parata habet optima media. Vacuam quidem bonorum Vacantium poſſeſſionem ingredi et apprehendere ſtatim poſt nunciationem licebit. Ne tamen innoxie iure ſuo quis defraudetur, aut ne peregre degenti fiat praeiudicium, perſonae defunctae, de cuius hereditate agitur, obitus in loco ac tabulis publicis annunciandus, edictaliterque citandi ſunt, quicunque ſuam ex ſanguinis linea cum mortuo coniunctionem ſufficienti probatione deducere poſſe confidunt. Quod ſi igitur ſe ſiſtat, qui ſuum euincat ius, dubitandum non eſt, quin hereditas ipſi ſit reſtituenda. Nemine vero intra definitum tempus comparente, plenario iam et cum omnium excluſione in fiſcum bonorum tranſit dominium. Difficilior euadit expeditio, vbi patrimonium vacans a poſſeſſore, iuris titulum pro ſe allegante, detentum aliter ac per deductionem in iudicium impetrari nequit. Suo tamen fiſcus gaudet fauore, quod iam in petitorio conſtitutus vel heredis inſtar bona omnia petere, vel ex iure ſingulari et ex dominio, ipſo iure in ſe deuoluto, agere poſſit. Equidem circa aliorum ſubtilitates et exorbitantem aſſertionem de poſſeſſione a fiſco violenter arripienda [r] non haereo. Non indiget fiſcus patrocinio anxie quaeſito. Quis enim eidem denegabit vtilem actionem ex Edicto Quorum Bonorum? Hanc vero contra hereditatis detentorem adhibere, a cuius friuolis exceptionibus taedii plena et iniqua cauſae protractio alias metuenda

q l. 6. §. 10 et 11. D. quae in fraud. cred.
r v. infra cap. VI.

da eſt, Fiſci Aduocato prudentia ſuadebit. Quod ſi autem conſultius videatur, vno proceſſu rem omnem terminare, primo quidem fiſco via patet, heredibus communis, vt ſcil. hereditatis petitionem inſtituendo actorio nomine experiatur. Si igitur adeſſet contradictor, bona vacantia ex teſtamento forſitan nullitatis vitio laborante retinens, iudiciali cognitioni res erit tradenda, nec, petitorio inſtituto, in fiſcum poſſeſſio tranſibit, antequam ſententia lata ſit definitiua. Sed, quod fiſco iam proprium eſt, eidem ex ratione ſupra adducta aduerſus eos, qui titulo ſingulari poſſident, ex ſingulari ratione agere conceſſum eſt. Poterit igitur actione Publiciana vindicare rem ad hereditatem pertinentem, poterit condictione petere bonorum quantitatem. Conferendus hic eſt VLPIANVS,[s] qui, quum egiſſet de iis, quae in hereditatis petitionem veniunt, et recitaſſet Senatusconſultum, Hadriani tempore factum, de vſuris ab hereditatis poſſeſſore ſoluendis diſſerens, *Idem*, inquit, *ſi vacantia bona fiſco vindicentur, vel ſi ex alia quacunque cauſa bona ad eum peruenerunt.* Praeter alia ſuperius iam deducta inde colligimus, id, quod de ſoluendis vſuris ICtus adduxit, ad eos quoque caſus pertinere, quibus fiſcus ex quacunque cauſa ſingulari bonorum partem capit.

§. XVI.

Hoc autem, quod in vindicandis bonis Vacantibus fiſco competit, ius an aliquo temporis lapſu exſtinguatur, diſquiſitione digna eſt quaeſtio. Videas, quosdam fiſcum ab omni prorſus praeſcriptione liberare.[t] Alii ad XL. annorum praeſcriptionem delabuntur, non alio argumento, quam quia tanti temporis decurſum contra fiſcum adhibere leges permittunt.[u] Sed quum haec legum definitio ad res fiſco per incorporationem plene quaeſitas pertineat, fruſtra ad illam in hac cauſa prouocatur. Rectius ergo quadriennii praeſcriptio

s in l. 20. §. 7. D. de Hered. Petit.

t §. 4. I. de Vſuc. l. 18. D. de Vſurp. et Vſuc.

u l. 6. C. de fund. patr.

ptio ad excludendam bonorum acquiſitionem applicatur. Ita enim CONSTANTINVS:[x] *Notum eſt, a fiſco quaeſtionem poſt quadriennium continuum ſuper bonis Vacantibus inchoandam non eſſe.* Vt legem ex lege interpretemur, iungendum eſt, quod ICtus MODESTINVS ſcriptum reliquit:[y] *Quamuis aduerſus fiſcum vſucapio non procedat, tamen ex bonis Vacantibus, nondum tamen nunciatis, emtor praedii ex iis bonis extiterit, recte diutina poſſeſſione*[z] *capiet.* Fiſcum itaque poſt quadriennii lapſum bona nunciata vindicare non poſſe, vulgo inde colligunt. Id quidem certiſſimum eſt, hanc quadriennii praeſcriptionem ad ſola bona vacantia pertinere, non ad ea, quae fiſcus ex cauſa delicti capiat. Sed aequum quoque non minus, quam iuris analogiae conueniens puto, eidem non niſi poſt nunciationem locum concedere. Temporales enim praeſcriptiones non niſi ſcienti currere, plerorumque ſuffragiis adſeritur.[a] Videtur his contrariari, quod CALLISTRATVS habet:[b] *Diuus Pius reſcripſit, vacantium bonorum nunciationem quadriennio finiri.* Sed ipſa, quae ſequuntur in lege citata, verba, hoc quadriennium currere volunt ab eo tempore, quo conſtat, bona vacare, quae ſcientia abſque nunciatione in fiſco non praeſumitur, adeoque meae fauent aſſertioni. Re autem curatius inſpecta, quae obſtare videntur, non ius fiſci periment, ſed delatoris, quem, quadriennio elapſo, Diuus PIVS fruſtra delationis lucrum captare conſtituit.[c] At vero etiamſi forſitan non nemini poſſet

x l. 1. C. de quadr. praeſc.

y l. 18. D. de Vſurp. et Vſuc.

z Non arbitror, ex Conſtantini Edicto ſubintelligendum hic eſſe quadriennium, ſed expreſſa illa verba, *nondum tamen nunciatis*, ordinarium vſucapionis tempus, quod alias *diutina poſſeſſio* innuere ſolet, commode hic admittunt.

a SFORT. ODDVS de Reſt. in Int. P. I. Qu. 20. art. 4.

b in l. 1. §. 2. D. de I. F.

c Quae ergo plerumque inter ſe committuntur leges, ea conſpirant ratione. Regulam, actiones fiſco competentes viginti annis finiri, niſi minora tempora conſtituta ſint, *l. 13. D. de diu. et temp. praeſcr.* exhibet. Limitationem in bonis vacantibus ſancitam eſſe, introducto quadriennio, exponit *l. 1. C. de quadr.*

Digitized by Google

poſſet arridere ſententia, quod contra fiſcum intra quadriennium praeſcribantur bona, ſiue nunciata ſint, ſiue non nunciata; noli tamen eundem vel ideo ab omni iure ſuo prorſus excluſum arbitrari. Quod enim receptae contrariatur doctrinae, aſſerere iam non dubito, *fiſco praeſcriptione laeſo reſtitutione ſuccurrendum eſſe.* Complura ſunt, quae ita ſtatuere ſuadent, quamuis expreſſa legum deciſione deſtituamur. Fauorabilis eſt fiſci cauſa, quum eius res pariter, ac minorum omniumque vniuerſitatum, alieno regatur miniſterio. Vti vero alteri per alterum iniqua conditio inferri nequit, ita cum aequitate parum conuenire videtur, ſi fiſcum adminiſtratorum negligentia iure ſuo priuandum dixeris. Quoque breuiore ſpatio praeſcriptio noſtra decurrit, eo iuſtior videtur reſtitutionis in integrum petitio. [d] Argumentum, quod *l. 3. C. de I. Reip.* ſuggerit, et quod reip. minorum iura addicit, directo quidem ſententiam meam non probare concedam, quum nec de iure fiſci agat, nec municipia fiſci iure gauiſa fuerint. Sed ſi conſideres, non aliam vniuerſitatum ciuitatumque in integrum reſtituendarum cauſam fuiſſe, quam ne adminiſtratione curatorum defraudentur, fatearis neceſſe eſt, argumentum illud non omni virtute atque pondere ad reſtitutionem aerario publico tribuendam deſtitui. Adde, quod ex generali clauſula edicti Praetorii quaeuis cauſa iuſta et probabilis ad reſtitutionem impetrandam ſufficere videatur, adeo, vt meo quocunque iudicio iudicis arbitrio relictum videatur, an fiſco praeſcriptione laeſo fauendum ſit.

✲ ✲ ✲

CAPVT

quadr. praeſcr. Denique eandem ad coercenda delatorum lucra applicat *l. 1. §. 2. D. de I. F.*

d Reſtitutionem in integrum, *fiſco* generaliter competentem, implicite in *l. 7. D. de I. F.* latere arbitratur Vir Illuſtris atque Excellent. C. O. RECHENBERG, Patronus noſter Venerandus, in Diſſ. de Compend. Princ. ex L. Rom. ad habit. territ. Germ. relatis, Lipſiae 1725.

Digitized by Google

CAPVT II.

DE

BONIS CADVCIS ET VICESIMA HEREDITATVM.

§. XVII. *Inſtituti ratio.*
§. XVIII *De Lege Iulia et Papia Poppaea.*
§. XIX. *Varia Caducorum genera explicantur.*
§. XX. *Nouior Iuſtiniani legislatio de Caducis tollendis.*
§. XXI. *De Viceſima hereditatum.*

§. XVII.

Leges Caducarias expoſiturus Iliadem poſt Homerum ſcribere videtur. Adeo enim principes ICtorum, FRANC. BALDVINVS, IAC. GOTHOFREDVS, et qui adhuc Iurisprudentiam ornat et ad veterum gloriam aſcendit, IO. GOTTL. HEINECCIVS, Legis Iuliae et Papiae Poppaeae argumentum tractarunt, vt alienae induſtriae nihil videatur relictum. Nec igitur a me ſolidiora poſſunt exſpectari, nec animus eſt, dapes ab aliis copioſe ac eleganter praeparatas denuo apponere. Sed ne intactam prorſus relinquam materiam, quae ad tractationis meae ambitum ſpectat, et compluribus iuris Iuſtinianei capitibus illuſtrandis inſeruit, id ſaltem agam, vt iuris, quod olim obtinuit et quod nunc obtinet, ſeriem et argumentum velut in breuem tabulam coniectum exhibeam.

§. XVIII.

Octauius Auguſtus, poſtquam Romam bellis ciuilibus afflictam pacauerat, iam potentiae ſecurus inter alia reipubl. bene conſtituendae firmandique Principatus conſilia illud cumprimis curandum cenſuit, vt ciuium numerum belli calamitate imminutum et aerarium exhauſtum adaugeret. Prius poenis coelibatus, poſterius introducendo caduca, ereptitia, vigeſimam denique hereditatum obtinere contendebat. Prima quidem Legis Iuliae rogatione, populo eandem improbante, parum effecit Auguſtus. Sed quum votis euentum non reſpondere videret, denuo rem aggreſſus eſt. Poenis enim coelibum certa ratione mutatis, parentumque adauctis praemiis et vacatione triennii indulta, vt lex Papia Poppaea ciuium

Digitized by Google

ſuffragiis approbata, perferretur, obtinuit. Agit eiusdem pars prior de maritandis ordinibus; poſterior de caducis fiſco inferendis. Illa prudentiorum applauſu haud difficulter excepta eſt, haec odii pleniſſima ciuium fortunas fiſco varia ratione obnoxias effecit. Pars prior, quae, matrimoniorum ordinem et decus ordinando, vagae coelibum libidini fraenum iniecerat, varie mutata eſt, poſterior vero, quae caducarium vectigal aerario addixerat, ad Iuſtiniani vsque tempora etiam ſub optimis Principibus perdurauit, donec huius demum beneficio tota reiiceretur.

§. XIX.

Caduca, velut in caſum cadentia, generatim dicebantur, quae haeres ſcriptus legatariusue capere nequibant. Omnis ergo legis Caducariae vſus in ſola ſucceſſione teſtati viguit. [e] Ad duo vero capita, quae de argumento hoc ſuperſunt, vetuſtatis reliquiae redigi poſſunt. Alterum exhibet caducorum genera, alterum, quis eadem quoue iure capiat, definit. Actum agerem, ſi diuerſos iam eruerem reſcriberemque caſus, quos aliorum ſolertia operoſe ſubtiliterque aſſecuta eſt. Id quidem, vix arbitror, fore quemquam, qui neget, multa, imo pleraque, quae legis ordinem tangunt et capita, meris inniti coniecturis, et tanti non eſſe, vt ideo lites ſint excitandae. Sufficit tantum ſcire et ex antiquitatum puluere colligere, quantum ad leges hodie valentes intelligendas prodeſt. Memorantur vero quinque bonorum claſſes, de quibus cautum erat lege Papia. Harum *prima* de his, quae *ab initio ob nullitatis vitium deficiunt*, agit, quae ſicut in perſona heredis legatariiue conſiſtere nequeunt, ita ipſam impediunt delationem. Referuntur eodem, quaecunque ob mutatam teſtatoris voluntatem capi nequibant; inſtitutiones captatoriae; ea, quae poenae nomine aut notandi heredis gratia relinquebantur; quae ſimpliciter in alterius voluntatem erant collata; quae tam obſcure ſcripta, vt intelligi nequirent, cetera. Sed quum in haec fiſco per legem caducariam nihil iuris tributum ſit, ad meam tractationem pertinere non videntur.

e PAVLI Rec. Sent. L. IV. t. 8. §. 26.

dentur. Claſſis *ſecunda* bona complectitur, quae *in cauſa caduci eſſe* dicuntur. Huc ſpectant, quae legitime ab initio ſcripta ante mortem teſtatoris deficiunt. Euenit id, vel conditione deficiente, vel herede legatarioue ante teſtatorem aut conditionis exiſtentiam mortuis. VLPIANVS, [f] *Intercidit*, inquit, *legatum, ſi ea perſona deceſſerit, cui legatum eſt ſub conditione.* Videtur ICtus non de legatario ante teſtatorem, ſed ante conditionis exiſtentiam mortuo loqui. Aſſerit idem de legatario ante conditionis euentum in ſeruitutem redacto, addita ratione, *quia ſeruitus morti aſſimilatur.* [g] *Tertia* claſſis *caducorum ſtricte talium* indolem exponit. Sub his comprehenditur omne, quod poſt mortem teſtatoris ante apertas tabulas inter coheredes [h] legatoriosue deficit. Caducis hac ratione efficiendis egregie proſpectum erat. Namque coheredes neu poterant ex ſententia huius legis ante apertas tabulas adire, nec antea cedebat dies legatorum. Inde ſolennis erat teſtamentorum apertura et recitatio, qua neglecta, hereditatis cretio ſine effectu peragebatur. Et licet forte fiſci interfuerit, tabularum linum non ſtatim incidi; lex tamen Iulia Viceſimaria, paulo ante lata, vix aliquot dierum ſpatium differendae aperturae indulſerat. Reddebantur autem caduca, non ſolum herede legatarioue ante apertas tabulas moriente; ſed iiſdem quoque ante earum publicationem ad peregrinitatem redactis, aut conditione adiecta deficiente. Ea enim inſtitutionis, ſub dubii euentus mentione ſuspenſae, natura eſt, vt corruat, euentu non ſubſecuto. Quod igitur ea ratione ex vltima voluntate alicui ſperandum eſt, ante conditionis exiſtentiam ne deberi quidem incipit. Referunt quoque, qui fractas legis Papiae tabulas velut ex naufragio collegerunt, ad bona caduca, quicquid coelibi, aut cuicunque, qui ſignaculis, nondum remotis, incapax factus eſt, relictum fuerat. Inter poenam coeli-

f l. 59. pr. D. de Cond. et Dem.

g in l. c. §. 2.

h Ex aſſe inſtitutus heres ſtatim adire poterat hereditatem. Id enim agebant leges caducariae, vt ius accreſcendi impedirent. v. VLP. in fragm. tit. XVII. §. 1. Rem extra controuerſiam ponit *l. 1. §. f. D. de l. et F. ign.* vbi certiſſimum iuris antiqui veſtigium occurrit. conf. l. 3. C. de l. Del.

coelibatus Iulia rogatio, de maritandis ordinibus concepta, illam quoque poenam ſanxerat, vt, niſi intra centum dies vxores ducendo nubendoque legi paruiſſent, nihil ex teſtamento capere poſſent coelibes. Orbis quoque non niſi ſemiſſem teſtamento relictorum acquirere licebat, excepta ſucceſſione, quae ſanguinis vinculo deferebatur. Haec vero lucra hereditaria, fiſco contra antiqui iuris regulam legis Papiae beneficio attributa, neque liberos, neque parentes ad tertium vsque gradum, damno afficiebant, docente VLPIANO.[i] Seruauit huius limitationis veſtigium CELSVS,[k] filium ob ius accreſcendi a praeſtatione legati liberans, addita ratione, *quia id iure antiquo capit.* Sequitur *quartum* genus bonorum ex lege Caducaria fiſco delatum, et *Ereptitiorum* nomine inſignitum, quae legata pariter ac hereditates reſpexerunt. In lege Papia quidem repetitum potius, quam introductum eſſe ius ereptitiorum videtur. De horum vero cauſis, iuribus ac diuerſo genere agam capite ſequenti. Vltimo denique loco occurrunt *Vacantia*, quo nomine vindicatum, quicquid poſt apertas tabulas nec hereditatis aditione, vel pro herede geſtione, nec legati agnitione acquiſitum erat. Quod hereditates attinet, notiſſima eſt antiqui iuris regula, hereditatem non acquiſitam non transmitti. Solam enim ſpem, extraneo heredi teſtamento datam, heredis heredi prodeſſe, negabant iura Latii. Quoad legata, res ex antiqua eorum differentia formuliſque, quibus ea veteres relinquebant, explicanda eſt. Legati itaque, per *vindicationem* relicti, dominium ipſo iure transibat. In iis autem, quae *ſinendi modo* et per *damnationis formulam* conſtituta erant, (quamuis eorum dies ab apertis tabulis cederet) non niſi poſt agnitionem naſcebatur contra heredem actio,[l] nec cedebat dies prius, niſi quoad rei legatae fructus, vſuras, acceſſiones, quas heres praeſtare coge-

i in fragm. T XVIII.

k L. 29 §. f. D. de Leg. 2. ideo HOTOM L. IV. Obſeru. c. 9 caduca, liberis parentibusque relicta, *caduca receptitia* emphatica locutione dixit.

l Eo pertinere videtur, quod habet PAVLVS Sent. L. III. t. 6 §. 3 Poſt diem legati cedentem actio, quae inchoata non eſt, ad heredem non transmittitur.

cogebatur.[m] Praeceptionis formula coheredi legata elargiri Romani ſolebant. Iſte antequam adierat, nec coheres erat, nec legatum, quod nondum agnouerat, acquirebat heredibus ſibi futuris.[n]

§. XX.

Haec erat Legis Caducariae ſententia. Immutauit eandem nouior Iuſtiniani legislatio. Quid ille abrogandum, quid retinendum cenſuerit, paucis exponam. Viam ſequar, quam decurrendam mihi praebet ipſa Imperatoris conſtitutio.[o] Moleſtam fuiſſe ciuibus caducorum obſeruationem, res ipſa loquitur. Inde iam olim variis artibus legis vim eludere tentarunt,[p] etſi pro amplificandis caducis et delatores, et ii, qui fiſcum curabant, auida pariter ac ingenioſa ſedulitate forſitan laborauerint. Teſtantur hiſtoriarum monumenta, Principes nonnunquam in caducorum exactionem acrius intentos fuiſſe, aut pro temporum fortuna fiſci rigorem aliquatenus cohibuiſſe.[q] ICtos quoque in cautelis et rationibus inueniendis ad legis duritiem temperandam deſudaſſe, exempla vno plura demonſtrant.[r] De his praefatus Iuſtinianus, forte vt ſuae conſtitutionis gratiam extolleret, clementiaeque ſuae regiae documentum eo melius in oculos incurreret, rem ipſam aggreditur. Et a) quidem approbat Imperator ſubſtitutiones ſatis ſubtiliter ad eludendam legem inuentas; b) ius accreſcendi liberis parentibusque lege Papia ſeruatum omnibus concedit. Sed iugulum quaſi legis Caducariae petit, quum c) liberrimam effecit adeundi facultatem aperturae tabularum hactenus adſtrictam, diemque

m Ita rem omnem vett. ICtorum auctoritate explicatam dedit Illuſtr. HEINECCIVS in Comment. ſaepius laudato.

n Scribo hoc ex auctoritate HEINECCII l. c. p. 410. Sed incidi in legem, maxime obſtantem. Namque in *l. 75. §. f. D. de Leg. II. legatum, praeceptionis formula relictum, poſt diem cedentem transmitti, hereditate licet non adita, nec transmiſſa*, claris verbis ſcribitur. Legati igitur agnitionem ab hereditatis cretione pependiſſe, probatione forſitan indiget.

o v. Tit. C. de Cad. toll

p Varias illuſiones fruſtra tentatas refert Illuſtr. HEINECCIVS l. c. p. 425.

q Huc pertinet SCtum, quod viuo teſtatore deficientia apud eos, a quibus relicta, manere voluit Huius meminit l. 60 D. de Leg. II. l. 2. D. de her. Inſt.

r conf. inter alias l. 5. et 6. D. de vulg. et pup. ſubſt.

que legatorum a mortis momento cedere iuſſit, excepta libertate atque vſufructu legatis, iisque, quorum valor adiecta conditione ſuſpenſus eſt. Quum vlterius praecipuas tres caducorum cauſas recenſuiſſet, ita ſtatuit, vt d) illa, quae pro non ſcriptis habentur, velut a reliquis ſeparet, et apud heredem remanere iubeat, quae et ipſa erat legis Papiae ſententia. Caduca vero et quae in cauſa caduci eſſe dicebantur e) fiſco prorſus ademit, ad heredes vel ſubſtitutos coniunctosque cum onere adiecto peruentura. Subtraxit quoque f) fiſci commodis ea, quae poſt apertas tabulas, neglecta aditione, vacabant, ſalua ceteroquin regula, qua hereditas non adita non transmittebatur in heredes, confirmatisque exceptionibus, quae ex iure ſuitatis et lege tum Theodoſiana tum Iuſtinianea heredis ante aditionem defuncti heredibus fauebant. Quae proxime inſequuntur, intricatam de legatariorum coniunctione doctrinam explicant, nec fiſci cauſam tangunt. Denique Ereptitiorum quoque mentionem iniicit, eaque pariter ac bona, quae omni herede deſtituta vacant, fiſco addicit. Reiectis itaque et in exſilium pulſis caducis, hodie nullum amplius incrementum fiſci commodis inde ſperandum eſt, nec adeo forum deſiderat eorum explicationem. Legum tamen interpretibus, qui ad ſolidiorem iuris ſcientiam enituntur, in explicandis vetuſti iuris veſtigiis negotium faceſſunt caduca.

§. XXI.

Sunt, qui putant, tam arctam cum caducis cognationem habere Viceſimam hereditatum, non niſi ex antiquitatum monumentis nobis cognitam, vt vtraque fiſci acceſſio vna rogatione introducta videatur. Et certo hereditarium hoc vectigal agnoſcit eundem auctorem, Octauium ſcilicet Auguſtum, ortum eſt ex iisdem aerario ſubueniendi cauſis. Legem tamen Caducariam de Viceſima quicquam ſanxiſſe vix aſſererem. Decimam ex Viceſima effecit Imperator Antoninus Caracalla, nimium militum commodis ſtudens, quippe quorum aerario haec praeſtatio aſſignata erat. Eo imperante, in immenſum creuiſſe reditus Viceſimarios, quum omnes ingenuos in orbe Romano commorantes ex hac potiſſimum

ratione

Google

ratione iure ciuitatis donaſſet, DIONIS [s] teſtimonio nouimus. Inde quoque varia in Viceſimae commodum de tabulis aperiendis ſancita fuiſſe, ex PAVLI ſententiis [t] patet. Poſtea Viceſima reducta eſt, [u] et demum penitus abolita, ſiue a Gordiano, ſiue breui poſt Hadriani tempora illud factum ſit. Quae fuerit legis ſententia, DIONIS locus [x] eruditos docuit, ſed neſcio, an ſatis accurate. Viceſimam igitur hereditatis partem fiſco inſerebat heres extraneus. Exemti enim ab hoc onere erant liberi, parentes, omnes denique, qui pauperem, aut obaeratam hereditatem ſuſceperant. Sed quaenam hereditatis pauperculae definitio, liberis num accenſendi quoque emancipati, an agnatorum [y] cognatorumue nonnulli, an patronus ab hoc onere immunes fuerint, de eo non ſatis conſtat. Liberaliores interdum Principes cognatis quoque quippiam indulſiſſe, colligimus, PLINIO coniecturam ſuggerente. Hic enim inter laudes, quibus optimum Principem Traianum mactat, quum conceſſam parentibus a viceſima vacationem memoraſſet his verbis: [z] *egregie, Caeſar, quod lacrymas parentum vectigales eſſe non pateris,* ita pergit: *Non vero contentus primum cognationis gradum abſtuliſſe Vigeſimae, ſecundum quoque exemit, cauitque, vt in ſororis bonis frater et contra in fratris ſoror inuicem ſeruarentur immunes.* Ceterum haec ad ſolos ingenuos, non item libertinos, pertinuiſſe, alii obſeruarunt. [a] An in iure Iuſtinianeo inter veterum ICtorum fragmenta Viceſimae ſuperſit veſtigium, ſollicite inueſtigauit CVIACIVS, [b] ſibique nonnulla deprehendiſſe viſus eſt, dubio tamen non caritura. Singula ego non excutiam. Vnicum modo adducam exemplum, in quo ad veri ſpeciem propius

s L. LV. ad a. V. C. DCCLIX. conf. SPANHEM. in Orbe Rom. Exerc. II. c. 4.
t L. IV. tit. 6.
u DIO l. cit.
x ſupra citatus.
y De agnatis DIO l. c.
z in Paneg. c. XXXVIII. et XXXIX.
a CVIAC. L. IV. Obſ. c. 3. SPANHEM. in O. R. L. II. c. 9.
b L. V. c. 16. Obſ. L. IX. c. 24. vbi prouocat *ad l. 114. §. 14. D. de Leg. I. l. 2. C. de Tranſact. l. 68. D. ad L. F.* vbi, quod de aeſtimanda Falcidia perhibetur, a Viceſima ad illam a Triboniano translatum ſuſpicatur.

Digitized by Google

pius accedit coniectura. Scripſit MARCIANVS,[c] valere patrisfamilias diſpoſitionem, qua prohibuerit praediorum alienationem, ſi illa certae perſonae cauſa facta fuerit, addiditque: *haec neque creditoribus, neque fiſco fraudi eſſe.* Non creditoribus, quum, vt loquitur ICtus, *ſi propter teſtatoris creditores heredis bona* (a teſtatore relicta, nec aeri alieno ſoluendo ſufficientia) *venierunt, fortunam communem fideicommiſſarii quoque ſequuntur.* Non fiſco, qui partem viceſimam iure petit, quum ipſius conditio facto teſtatoris reddi nequeat deterior. Ipſe quidem CVIACIVS [d] ſubdubitare videtur, anne haec de Viceſima rerum venalium intelligenda veniant. Addit autem: *quis fando vnquam audiuit quicquam de viceſima rerum venalium?* Imo licet eius generis onus rebus venalibus impoſitum fuiſſe concedamus, eo ipſo tamen ad alienandum nemo cogitur. Aſſerit itaque ICtus, valere prohibitam alienationem. Regulam tamen ita reſtringit, vt eadem non procedat, ſi hereditas aere alieno, ad alienationem impetrandam efficaci grauata ſit. At vero ſufficiant haec de re a fori et vitae ciuilis vſu prorſus aliena, cuius ego non alia de cauſa memini, quam ne curam iuris veteris, ſine cuius notitia ſolidam legum ciuilium ſcientiam comparari fruſtra credideris, omnino neglexiſſe videar.

CAPVT III.

DE IVRE FISCI IN BONA EREPTITIA.

§. XXII. *Bonorum Erept. fundamentum et cauſae. Oriuntur* 1. *ex impugnatione teſtamenti.*

§. XXIII. 2. *Ex impietate aut ingratitudine erga teſtatorem.*

§. XXIV. *B. Erept. in caſibus plerisque fiſco in LL. adſcribuntur.*

§. XXV. *Quo effectu fiſcus B. E. capiat.*

§. XXVI. *An fiſcus excludat ſubſtitutum.*

§. XXII.

Quod Iuſtinianus [e] de his, quae in teſtamento pro non ſcriptis habentur, heredi, non fiſco relinquendis, memorat, eſſe hoc *naturali*

c in l. 114. §. 14. D. de Leg. 1.
d L. V. c. 16. Obſ.
e in l. vn. de Cad. toll. §. 3.

naturali ratione ſubnixum, id mihi iure de ereptitiis aſſerere videor. Quid enim magis vrget iuris naturalis ratio, quam vt legum ciuilium auctoritate puniatur ingrati animi improbitas. Peccat, qui accepta beneficia fraudibus, odio, conuitiis, imo vulneribus remuneratur. Foedum hoc ac turpe reputant omnium gentium ſuffragia, vnde nec leges ciuiles ingratitudinem prorſus impunitam reliquerunt. Vindictae huius exemplum praebent bona ereptitia. Explicanda veniunt tum hereditates, tum legata, indignis vel a fiſco vel ab aliis auferenda. Liberalitate igitur, per vltimam diſpoſitionem edita, Romani indignos cenſebant, qui vel contra teſtatoris voluntatem nitebantur, vel in eiusdem perſonam, famam bonaque committebant.[f] Siue committendo igitur ſiue omittendo id contingeret, nihil intererat. Prioris generis indigni ſunt, qui tabularum ſupremarum productionem detrectant, vt illas vel ſupprimant penitus, vel falſi accuſatione, aut nullitatis obtentu impugnent. Hinc ICti ſollicite diſtinguunt inter eum, qui falſum dixit teſtamentum, et qui non iure factum contendit.[g] Iubent generatim Auguſti:* *Qui falſas tabulas dixit, nec obtinuit, ad defuncti iudicium aſpirare non poteſt.* Memorabile eſt, quod refert VLPIANVS[h] de eo *herede, qui codicillos intercidiſſet, fiſco tantum eſſe vindicandum, quantum per codicillos erogari poſſet*, i. e. *vsque ad dodrantem.* Cur dodrantem tantum illa lex fiſco aſſignat? cur non in commiſſum cadit tota hereditas? Facilis videtur dubii reſolutio. Loquitur enim Vlpianus de filio, codicillos patris ſupprimente. Filio autem ex patris ſubſtantia legis beneficio debebatur legitima, quae olim pars quarta erat bonorum. Filius igitur, ſupprimens tabulas codicillares, nonniſi tantum improba fraude retinebat, quantum aliis elargiri pater prohibebatur. Eiusdem fere eſt generis, quod legatarius, heredem falſo adſcriptum allegans, non omni lucro excidat. *Huic* enim ſcribit VLPIANVS,[i] *legatum non auferri*

F *a cohe-*

f Dantur quidem caſus, ex aliis forſitan cauſis enati. Sed iuuat, potiores in qualemcunque ordinem redegiſſe.

g l. 5. D. de his, quae vt ind.

* l. 6. C. ad L. C. de falſis.

h in l. 4. D. ad L. Corn. de falſ. j. l. 25. C. de Leg.

i l. 4. D. de his, quae vt ind.

Digitized by Google

a coherede relictum, quem non inquietauit. Namque totum non impugnat teſtamentum, quin potius in ceteris coheredibus pro valido illud agnoſcit. Non igitur vltra delicti limites poena proferenda eſt, quum iniuria affecti perſonam delictum non egrediatur. Plura, quae huc pertinent, expoſuere alii, quae ſingula reſcribendo plagiarii nomen vix euitarem. Res omnis eo redit, quod *omnes heredes vel eos, qui heredis loco ſunt, officioſe circa defuncti voluntatem agere conueniat.* [k]

§. XXIII.

In ipſam teſtatoris perſonam iniurius ingratusque Romanis videbatur, qui non vindicabat necem teſtatoris, aut qui mortis cauſam dolo malo culpaue teſtatori ipſe praebebat. Prius vt eo religioſius ſeruaretur, conditum eſt SCtum Silanianum, ne tabulae ante aperirentur, neue adiretur hereditas, quam de ſeruorum familia quaeſtio publica habita fuiſſet. [l] Heres itaque, hanc legum pietatem non obſeruans, pro indigno habitus eſt, et bona fiſco ſunt adiudicata. Sed etiamſi vel liber homo teſtatorem ad inferos ablegandum curaſſet, heredem tamen eius mortem vindicare oportebat. Publicae enim diſciplinae prudentiaeque politicae rigor requirebat, ne caedes ciuium inultae ſupprimerentur; ſed heredem flagitabat vindicem.[l] Pietatis vero eſt officiique, ab herede inprimis praeſtandi, curare, ne ſceleris ferat impunitatem, cuius vel immani furore, vel laqueis inſidioſis ad Acherontem deſcendit teſtator. Romanos inprimis tam religioſe ſanciuiſſe, vt occiſorum manibus mactata victima redderetur, mirum non eſt. Tanta enim ipſis defunctorum erat reuerentia, vt quietem eorum crederent perturbari, niſi ſanguinem innoxie effuſum vlciſcerentur. Barbaros autem eiusmodi auſus in republica, qualis erat Romana, frequentes fuiſſe, ſimultates inter patres atque plebem, mutuum familiarum odium, perpetuae inter eos, qui poteſtate gaudebant, factiones et durius denique herilis atque patriae poteſtatis imperium ſubdubitare non patiun-

k l. 21 D. de his, quae vt ind.

l Acceſſit his poſtea SCtum Claudian. de puniendis ſeruis, quibus in teſtamento libertas erat relicta. v. GRAVINA de Leg. et SCtis in Opuſc. p. 450.

Google

patiuntur. Vindictam itaque ſtatuerunt, ad quam heredem, accuſationis publicae neceſſitate adſtrictum, ſiue alias habilis eſſet, nec ne, [m] admiſerunt, de calumnia eundem non facile ſuſpectum habentes. Multo magis vero Ereptitiorum poenae ſubfuiſſe, qui, lucro intempeſtiuo inhians, teſtatoris mortem impiis vel conſiliis, vel manibus ipſe feſtinat, ipſa delicti grauitas docet. Id vnice addendum, heredis conatus, etſi in inſidiis, vitae teſtatoris quacunque ratione ſtructis, ſubſtiterint, eundem tamen reddidiſſe indignum. [n] Animaduertitur eadem ratione in heredem, qui criminis capitalis reum teſtatorem detulit, [o] aut ſtatus controuerſiam mouit, [p] item, qui teſtatori maledixit, aut, vt VLPIANVS loquitur, [q] *infauſtas aduerſus eum voces iactauit.* Porro ingratitudinis poena plectitur, qui reuerentiam, ex ſingulari nexu teſtatori debitam, laedit. Exemplum MARCIANVS [r] ex reſcripto Auguſtorum profert, ſi legatarius libertus poſt mortem teſtatoris patroni eundem, quaſi illicitae mercis negotiatorem, detulerit, additque, *quamuis et praemium meruit.* Vnde euidens eſt, nec comperta veritate, indignitatis poenam ceſſare. Etſi enim improbe egerit patronus, illicitae immiſcendo ſeſe negotiationi, verecundiae tamen et honeſtatis rationem negligit libertus, delatoris munere in exitium patroni defungens. Ob delictum denique bona eripiuntur hereditatis expilatori; [s] ei, qui mulieri, quam adulterio polluit, [t] teſtamento quid reliquit in caſu mutuae ſucceſſionis; mulieri item, militis contubernio ſtuproque ſuſpectae. [u] Sufficiant haec ad indicandum, quos leges praecipue inter indignos in fiſci emolumentum referant. Sicvti vero legiſlatio huc pertinens non vno tempore conſtituta eſt, ita diuerſa etiam inde deduci poterunt, quorum veſtigia in vete-

F 2 rum

m l. 11. D de accuſ. l. 10. C. de his, quae vt indign.
n l. 3. D. ad L. Corn de Sicar.
o l. 31. D. de adim. et transf. leg.
p l. 9 D. de his, quae vt ind.
q in l. cit.
r l. 1. D. de his, quae vt ind.
s l. 6. D. eod.
t l. 13. D. eod.
u l. 14. D. eod. l. 41. §. 2. D. de teſt. milit.

rum ICtorum fragmentis deprehenduntur. Certiſſimum quidem eſt, dilatatis amplificatisque indignitatis cauſis, fiſco ampliſſima ſaepe ex hereditatibus ciuium bona obueniſſe, non tamen ereptitia eam, quam caduca, ciuium indignationem excitaſſe legimus. Iuſtior forte videbatur horum ratio, quae et defunctorum honori ipſisque vltimis voluntatibus fauebat, et ad recti decus tuendum erat comparata.

§. XXIV.

Quo certius ergo eſt, fiſco in plerisque caſibus cedere ereptitia, eo magis expedit, factorum ſeiungere diuerſitatem, vt ex variantibus legum atque interpretum ſententiis eluctemur, et non niſi vero conſentanea eligamus. Quod vt fiat, generatim praemittendum, leges fiſco ereptitia vindicantes ſupponere, hereditatem legatumue indigno vere eſſe delatum. Ex quo ſatis patet, quomodo, quod aufertur indigno, ab eo diſtet, quod pro non ſcripto habetur, et ab iis, quae caducorum nomine aerario olim Auguſti lege adſcripta fuerunt. Incapax nihil acquirit: indignum vero rei hereditatisque ſibi relictae dominium nanciſci, manifeſti iuris eſt. Deficit, quodcunque fit caducum, herede mortuo vel conditione euaneſcente: ereptitium vero capit indignus, poſt, fiſco indignitatis cauſam vrgente, lucro delato priuandus. Sed laborandum eſt de conſtituenda regula, ex qua pateat, cuius in ereptitiis addicendis, caſu cumprimis dubio occurrente, potiores ſint partes. Quum enim non omnia ereptitia ad fiſcum tranſeant, ſed quaedam in hereditate maneant, et vel iure accreſcendi, vel ab inteſtato [x] deferantur, multum intererit, pro quo militet praeſumtio. Quod vt rite fiat, ad rei origines recurrendum eſt. Ereptitia non minus, quam caduca lege Papia fiſco adſcribuntur. [y] Acquiſitionem hanc fiſco ſeruatam eſſe, IVSTINIANI conſtitutio, quae caduca ſuſtulit, diſerte ac luculenter docet. Inde ſatis euidenter patere arbitror,

x Ita ex Illuſtr. HEINECCII coniectura ſtatuendum videtur, vbi indignus ex aſſe heres inſtitutus eſt. v. EI. Comment. ad L. I. et P. P. p. 417.

y VLP. in fragm. T. 19. §. 17.

tror, fiſci cauſam regulam conſtituere, ius vero heredis reliquosque caſus fiſci ius limitantes ad exceptiones pertinere. His praeſtructis, de caſibus ſingulis rectius iudicabimus. Sic, quae de *inimicitia capitali* ICti tradunt, fiſco nihil proſunt. Ea enim legati hereditatisque valorem interdum neutiquam infringit; interdum vero relictum ademptum quidem cenſetur, ſed reuertitur ad as hereditatis. Quid enim, ſi reconciliatio ante mortem ſequatur, ſi indignus meritis erga teſtatorem odii cauſam expiauit, ſi non ipſe, ſed alius falſis ſuggeſtionibus inimicitiae ſimultatisque fomitem excitauit? Inde VLPIANVS,[z] de hoc argumento locutus, addit: *et veroſimile eſſe coeperit, noluiſſe legatum praeſtari ei, cui adſcriptum eſt.* IDEM alio loco:[a] *Quod ſi iterum in amicitiam redierunt et poenituit teſtatorem prioris offenſae, redintegratur legatum.* Adempto igitur hac ratione legato vel hereditatis parte, nec indigno quicquam defertur, nec agitur ex lege de ereptitiis. Item pro non ſcripto habetur[b] et commodo cedit heredis, quod ei, qui celauit ſupremas tabulas,[c] vel legato annexam tutelae conditionem recuſauit neglexitque, relictum eſt. Singulare videtur, quod reſcripſit ALEXANDER, Imperator,[d] fiſco vindicari eius ex coheredibus partem, quem teſtatrix non mereri liberalitatis ſuae fructum declarauit. Ademiſſe enim indigno relictum potius teſtatricem et heredem pro non ſcripto haberi cenſerem, niſi diceres, nuda voluntatis declaratione hereditates non adimi. Sed quamuis hoc largiar, id tamen a regula alienum eſt, quod ſolum teſtatoris iudicium absque cauſae expreſſione indignum efficere aſſeratur. Quicquid demum hic lateat, ex iis, quae hactenus expoſui, has ego regulas conficio: 1. *Nihil indigno eripitur, cauſa indignitatis a viuo teſtatore expreſſe taciteque remiſſa.* 2. *Impedita*

z l. 9. D. de his, quae vt ind.

a l. 4. D. de adim. et transf. leg.

b l. 25. C. de Legatis.

c l. penult C de Legat. Falſum committere dicitur, qui teſtamentum celat in l. 2. D. ad L. Corn. de falſ. l. 14. C. eod.

d l. 4. C. de his, quibus, vt ind.

Digitized by Google

pedita ob indignitatis cauſam eius, quod relictum eſt, delatione, fiſcus nihil capit. [e]

§. XXV.

Vti igitur fiſcus ob heredis indignitatem,

Quae ſua ſunt, eripit, quae ſunt priuata, relinquit; [f]

ita quod eidem cedit, ipſo iure in illum defertur. [g] Legum tamen indulgentia interdum diuortium facit, integrum ſeruans relictum. Filio enim teſtamentum patris absque iuſta cauſa tanquam inofficioſum impugnanti et ante ſententiam deſiſtenti vel decedenti poena indignitatis remittitur. [h] Exiſtente vero bonorum eripiendorum caſu, non hereditatis ſolum, ſed fructuum etiam et acceſſionum ratio eſt habenda. *Heredem,* inquit PAPINIANVS, [i] *qui ſciens defuncti vindictam inſuper habuit, fructus omnes reſtituere cogendum exiſtimaui, nec probe deſideraturum, actionem confuſam reſtitui.* Singularem continent poſteriora verba indignitatis animaduerſionem. [k] Addit ICtus: *Deceptum ignoratione facti*

e Huic ſententiae contrarium videtur, quod fiſco acquiratur hereditas, ſi quis aliquem teſtari coegerit, vel, metu incuſſo, impedıuerit. Sed nihil muto. Nam teſtamentum coactum ſtricto iure ſubſiſtere, ex eoque hereditatem deferri, Romanarum legum principiis neutiquam repugnat. Notum eſt, metum conſenſum non excludere, licet Praetor metu geſtum reſcindat. Sic in *l.* 1 *D. ſi quis aliquem teſt.* actiones hereditariae heredi denegantur, ſed non ipſo iure nullum declaratur teſtamentum. Singulare eſt, quod *l.* 16. §. *f D. de his, quae vt ind. etc.* fiſco portionem addicat heredis, cuius nomen teſtator ob indignitatem induxit. Atqui nominis inductione adimitur hereditas: ergo haec ne delata quidem dici poteſt, et iuri potius accreſcendi locus dandus videtur. Rectius VLP. in *l.* 2. § 7. *D. de B. P. ſec. tab.* eum, cuius nomen a teſtatore inductum, pro non ſcripto habet.

f CORIPPVS AFRIC Lib. II. n. 7.

g Id enim tum vox *vindicationis*, qua leges in fiſci cauſa vtuntur, ſatis indicat, *l.* 27. *D. de I. F. l.* 3. *et* 4. *C. de his, quae etc. l.* 1. §. 1 *D. de I. F.* tum ipſa negotii natura docet. Nulla enim hic, quoad fiſcum, occurrit aditionis vel declarationis idea. Sed bona in poenam ipſis legibus indigno ablata cenſentur. Hinc eorum eadem fere, ac *Commiſſorum* ratio eſſe videtur.

h l. 8. § 14. D. de inoff. teſt.

i in l. 17. D. de his, quae vt ind. etc.

k conf. l. 8. D. eod.

Digitized by Google

ſibi bonae fidei poſſeſſoris defenſionem habiturum. Hoc de actione non improbe (quod de eadem facti ignorantia intelligo) confuſa aſſerit. Lucrabitur ergo, qui hac defenſione vtitur, heres fructus ante litem motam perceptos. At vero, de quo ſuperiori capite pluribus diſſerui, bona ereptitia cum omni onere fiſco accreſcunt. Subit enim locum heredis. Placuit Diuo MARCO, monente PAPINIANO,[l] *fiſcum cum ſuo onere ſuccedere.* Soluit ergo legata et fideicommiſſa reſtituit. Dare debet alimenta teſtamento relicta, et praeſtare conditiones, quas indignus iuſſus eſt adimplere. Quod ſi indignus ante aditionem vel agnitionem moriatur, ius fiſci tamen non deſinit aut exſpirat, licet ordinario iure reorum morte accuſationes exſtinguantur. Rationem reddit PAVLLVS,[m] *cauſam,* inquiens, *de qua hic quaeritur, quum ſit pecuniaria, morte ingrati heredis exſtinctam non videri.* Idem alia ICtorum veterum fragmenta [n] confirmant. Nec eſt, quod dicas, ſpem hereditatis a defuncto non transmitti. Alia enim eſt fiſci ratio, cui ipſo iure ereptitia acquiruntur, adeoque ſimulac legitimo modo indigno delata ſint, in ipſius dominium transeunt. Nihil igitur intereſt, ſiue ingrato herede viuente, ſiue mortuo, fiſcus bona vindicet, ſiue heredis heres indignitatis ſeſe participem reddiderit, nec ne. Potius huc ſpectat, quod iure conſtitutum eſt, heredem ex delicto defuncti eatenus conueniri poſſe, quatenus ad ipſum ex delicto quicquam peruenit. Hac annotatione ex rationis identitate in illam deducor, quod fiſcus quoque eatenus tantum bona eripiat, quatenus heredis delictum intercedit. Id enim non ſemper ad omnem extenditur hereditatem, ſed poteſt indignitatis cauſa interdum eſſe limitata. Nunc enim omne relictum fiſcus aufert, nunc partem, quam afficit impietatis poena. Non patitur aequitas, vt delicti limites euagetur vindicta, ſed iuſta ſit inter factum improbum poenamque proportio. Hinc tota priuatur hereditate, qui teſta-

l l. 16. §. fin. D. eod.

m l. 20. D. de accuſ. l. 22. D. ad SCt. Sylan.

n l. 4. D. ad L. Corn. de Falſis, l. 26. eod. l. 7. §. 4. D. de Bon. Damn. l. 15. ad SCt. Sylan.

Digitized by Google

teſtatorem occidit, vel qui necem eius vindicare neglexit, item filius, qui teſtamenti paterni tabulas ſupprimit, vt ab inteſtato ſuccedat. Saluum eſt e contrario heredi praelegatum,[o] cuius nomen ob malum meritum teſtator ex coheredum numero expunxit.

§. XXVI.

Id demum attendere operae pretium erit, an fiſcus excludat ſubſtitutum? Interpretes coaceruare, eorumque explicare diſſenſus, non mei eſt operis.[p] Quin potius ex generalibus principiis rem deducam. Exſpirat ſubſtitutio, hereditate ab inſtituto adita. Quid igitur certius, quam, quod, herede poſt aditionem indignitatis poſtulato, fiſcus ſubſtituto praeferendus ſit? Mero enim et ſtricto iure indignus adire hereditatem potuit, licet ipſum bona aditione quaeſita iura retinere non patiantur. Hoc eo verius eſt, ſi per aditionem, aut poſt eam indignitas ſuperueniat, quod exemplum necis non vindicatae probat. Hinc recte ſcripſit VLPIANVS,[q] *non publicari bona, niſi ante quaeſtionem habitam ſuppliciumque ſumtum heres hereditatem adiiſſet.* Licet enim haec ad ſolam cauſam Senatusconſulti Syllaniani pertineant; hic tamen commode applicari poterunt. Hoc poſito, patet, ſaluam eſſe ſubſtituto adeundi facultatem, ſi ante ſubſtitutionem aditione heredis exſtinctam caſus indignitatis vindicatae exſtiterit. Quum e contrario ſola hereditatis delatione ſubſtitutiones non euaneſcant, iniquum eſſet, ſi improbum heredis factum, quod fiſco locum facit, ſuffecturum dicamus ad euertendam teſtatoris voluntatem, quam ſubſtituendo ſatis luculenter expreſſit.

* * *

CAPVT

o l. 17. et 18. §. 2. D. de his quae vt ind.

p Vberius de hoc themate differentem habes ANDR. FACHINAEVM Controu. Iur. L. IV. c. 64.

q l. 5. §. 2. D. de SCto Syllan.

Digitized by Google

CAPVT IV.

DE

FISCO EX TESTAMENTO CIVIVM SVCCEDENTE.

§. XXVII. *Princeps et Reſpublica teſtamenti factione paſſiua gaudent.*
§. XXVIII. *Princeps, heres ſcriptus, iure vtitur communi.*
§. XXIX. *Id variis exemplis corroboratur.*
§. XXX. *Quatenus in ſucceſſione teſtamentaria de fiſco idem ſit aſſerendum.*
§. XXXI. *De republica vel ciuitate ex teſtamento ſuccedente.*

§. XXVII.

Principem vel Rempubl. priuatorum teſtamentis heredem ſcribi poſſe, dubio caret. Romae quidem ſaepius id contigiſſe, hiſtoriae monumenta teſtantur. Imo Octauius Auguſtus multum ſua intereſſe putauit, an ab amicis vel ex aſſe, vel ex parte heres ſcriberetur.[r] Tiberio inſignem modeſtiae laudem conciliat, quod hereditates, *niſi eas amicitia meruiſſet*,[s] ſuſcipere recuſauerit. Sed in deperditis ciuitatis moribus hac etiam Auguſtum heredem nuncupandi conſuetudine abuſos eſſe nonnunquam ciues Romanos, eiusdemque rationem pariter ac finem non omni tempore fuiſſe aeque innoxium, nemo negabit. Facili enim negotio tum de quorundam moliminibus, tum de temporum illorum diſciplina, tum de ipſo Caeſarum ingenio iudicabimus ex iis, quae veteres auctores memoriae prodita reliquerunt. Iniuſtam Domitiani auiditatem ſapit, quod ab eo *confiſcatae ſint alieniſſimae hereditates, vel exiſtente vno, qui diceret, audiſſe ſe ex defuncto, cum viueret, heredem ſibi Caeſarem eſſe.*[t] E contrario digna vox eſt maieſtate Imperatoris, Pertinacem profiteri, *nullius ſe aditurum hereditatem, quae aut adulatione alicuius delata eſſet, aut lite perplexa, aut qua legitimi et neceſſarii heredes priuarentur.*[u] Id igitur pro certo habendum, ſuffragari gentium mores, quod vel Princeps, vel

r SVETON. in Aug. c. 66.
s TAC. L. II. Ann. c. 48.
t SVETON. in Domit. c. 12.
u CAPITOL. in eius Vita c. 7.

Digitized by Google

Reſpublica aeque, ac quicunque priuatus, ex ciuium teſtamentis hereditates ſuſcipere poſſit. Quis enim Principem acquiſitionis ex facto priuati incapacem pronunciabit, niſi ipſe forſitan, pacto interueniente, priuatis emolumentis renunciauerit? Docet experientia, Rempublicam, vel eius nomine fiſcum varii generis contractus celebrare, donationes priuatorum acceptare, nihilque obſtare, quominus ex aliena liberalitate lucretur. Eidem igitur cur denegabimus licentiam, ex rite conditis ciuium teſtamentis hereditatem capere, quum id pari ratione permittat facultas naturalis? *Non dubium, nec incertum eſt*, teſtantibus Auguſtis, GRATIANO, VALENTINIANO et THEODOSIO,[x] *ſicut Imperatoribus, ita qualibet dignitate, vel poteſtate decoratis viris tam hereditatem, quam legatum relinqui poſſe.*

§. XXVIII.

Id igitur mihi iam erit agendum, vt inquiram, an in legibus Romanis priuato, Principem heredem ſcribenti, vel Principi in adeunda hereditate tributa ſit aliqua iuris praerogatiua. Obuenit mihi digna Principali faſtigio ſententia: *Quum heredes inſtituuntur Imperator et Auguſta, ius commune cum ceteris habent, quod et in codicillis et fideicommiſſariis epiſtolis iure ſcriptis obſeruandum erit.*[y] Haec de Principe herede. Priuatum teſtantem iisdem communibus alligatum eſſe legibus, Alexandri reſcriptum docet, quum *ex imperfecto teſtamento nec Imperatorem hereditatem vindicare* conſtituit.[z] Imperfecta eſt vltima teſtatio ſiue ratione *ſolennitatis*, ſiue ratione *voluntatis*. Priuatus igitur et ad teſtandum habilis ſit, et adhibeat, quicquid leges requirunt, vt tabulae ſupremae, ſiue nuncupatio, perfectae dici mereantur. Addit ALEXANDER: *Nihil tam proprium imperii eſſe, quam legibus viuere.* Probat itaque quae dudum ſcripſerat PAVLVS:[a] *Ex imperfecto teſtamento legata vel fideicommiſſa imperatorem vindicare inuere-*

x l. 16. princ. C. de teſtam.
y l. 7. C. qui teſt. fac.
z l. 3. C. de teſtam.
a in l. 23. D. de Leg. III.

Digitized by Google

inuerecundum eſſe; decere enim tantae maieſtati, eas ſeruare leges, quibus ipſe ſolutus eſſe videtur. Enim vero etſi Principis facta directo iure legibus priuatis non ſubeſſe concedamus, legum tamen imperio adſtringitur teſtator priuatus. Huius iam defuncti perſonam quum Princeps heres repraeſentet, eius quoque factis obligatur, Auguſtique heredis ius ex illis et naſcitur, et exſtinguitur. His praemiſſis, aſſerendum erit, quod Auguſtus, a priuato heres ſcriptus, quoad *inſtitutionem*, *aditionem* et *obligationem* priuato et communi iure vtatur. Equidem, quum de Imperantis poteſtate, ſemet ipſum legibus priuatis exſoluendi, agitur, impium foret, contra Principum maieſtatem ac ſplendorem pronunciare. Liceat Principi, ſibi aliam, quam ſubditis, legem dicere, liceat, ſibi ipſi plus indulgere, quam priuatis, legumque veluti vinculum laxare, ſiue de hereditate capienda, ſiue de contractuum aliorumque negotiorum ciuilium ſolennibus agatur, dummodo de caſibus ſtatuat futuris, dummodo ius ſubditis iam quaeſitum non adimat Princeps. Sed quamdiu de iure Principis ſingulari non conſtat, regulae inhaerendum eſt. Nec dubito, quin et huc quodammodo referendum ſit MODESTINI effatum:[b] *Non delinquere eum, qui in dubiis quaeſtionibus contra fiſcum pronunciat.*

§. XXIX.

Placet nonnulla ex legibus ciuilibus excerpere, quae Principis ſucceſſionem ex ciuium teſtamento illuſtrant.[c] Sic Princeps in teſtamento inofficioſo inſtitutus per querelam ab hereditate arcetur.[d] Hinc neglecta ſupremae teſtationis ſolennitas ſiue, quae inde prouenit, teſtamenti imperfectio Principem heredem ſcriptum ab hereditatis acquiſitione repellit. Vti ambulatoria eſt voluntas vsque ad extremum vitae momentum, indeque liberrima mutandi teſtamentum facultas enaſcitur; ita tabulae etiam, quibus Princeps

b l. 10. D. de I. F.

c Pluribus haec exſecutus eſt Illuſtr. NIC. HIER. GVNDLINGIVS in Diſſ. de Princ. herede ex teſtam. ciuium, Halae Magd. 1721. Quare id ego operam dabo, vt ſelectiora tradam, quae rem meam tangunt.

d l. 8. §. 2. D. de inoff. teſt.

Digitized by Google

ceps heres ſcriptus eſt, quocunque tempore, teſte CONSTANTINO,[e] mutari queunt, *nec eius bona, qui ſe Imperatorem facturum eſſe heredem iactauerat, a fiſco occupari poſſunt.*[ee] Admittere quoque Princeps heres inſtitutus conditiones debet, iisque obtemperare, ſi quas teſtator adiiciendas putauit. De difficilibus, deriſoriis, indecoris item conditionibus multa afferre ſuperfluum eſſet. Vanae ſtultaeque morientium voluntates, quarum in legibus occurrunt exempla, impune negliguntur.[f] Quare nec Principi negotium faceſſent eius generis ineptiae, quae dignitati eius aduerſae videntur. Ceterum adeundo demum acquirit hereditatem. Inde VLP. in Procuratore Caeſaris hoc *praecipuum* eſſe monet, quod *miſcendo ſe opulentae hereditati, heredem Caeſarem faceret.*[ff] Sed an recte hoc et conuenienter factum? Romae enim hereditatem cernere non licebat heredi niſi praeſenti. Non eadem forte geſtionis pro herede, aut immixtionis ratio. Sed eſto, exploſa cretione, procuratores in hoc negotio fuiſſe admiſſos, ſpeciali tamen indigebant mandato. Hac ratione patet, Caeſaris procuratorem iure praecipuo vſum fuiſſe. Porro in legatis Principi relictis locum obtinet lex Falcidia,[g] id quod HADRIANO placuit. Nec pro tuenda ſucceſſione teſtamentaria aliis Princeps vtitur actionibus, quam quae in priuatorum commodum proditae ſunt, nec alium, quam ordinarium agnoſcit iudicem. Vnicum his adiiciam, ne deſit iuris ſingularis et a regula deuiantis in Principis perſona exemplum. *Quod Principi*, inquit CAIVS,[gg] *relictum eſt, qui ante quam dies legati cedit, ab hominibus ereptus eſt, ex conſtitutione Diui Antonini ſucceſſori eius debetur.* Duo hic occurrunt ſingularia, alterum, quo Princeps legum caducariarum vinculis exſoluitur, alterum, quo legatum priuato iure caducum non Principis heredi, ſed ſucceſſori adquiritur. Prius ratione vix indiget. Caduca enim fiſco olim delata nouimus. In republica vero monarchica quid intereſt,

e in l. 6. C. qui teſt. fac. poſſ.
ee l. fin. D. eod.
f l. 14. D. d. Cond Inſt. l. 27. D. eod. l. 113 §. fin. D. de Leg. I.
ff l. 1 §. 2 D. de Offic. Procur.
g l 4 C. ad Leg. Falc.
gg l. 56. D. de Leg. II.

Digitized by Google

tereſt, ſiue fiſcus, ſiue Princeps acquirat? Poſterius forte ideo placuit, quia dignitati magis, quam perſonae legatum cenſetur.

§. XXX.

At, inquis, numne ad fiſci acquiſitiones pertinet, quod Principi ex ciuium teſtamentis obuenit? Nonne cauſae fiſcales publicos reſpiciunt vſus, eoque reditu locupletantur, qui ex perenni fonte effluit? Teſtamentaria e contrario ſucceſſio perſonae profutura nonne tota priuata eſt? Naſcitur enim ex facto priuati, priuatoque regitur iure, ſiue delationem conſideres, ſiue aditionem. Praemiſſa igitur tractatio numne huic opuſculo conueniens eſt? Ita videtur. In abſoluto quidem regno eadem plerumque vtriusque ratio eſſe ſolet. Licet enim haec lucra priuato Principis aerario adſcribi ſoleant; recte tamen VLPIANVS et ad tollendum hoc dubium conuenienter ſcribit: [h] *Quodcunque priuilegii fiſco competit, hoc idem et Caeſaris Ratio* (quae priuatum conſtituit patrimonium) *et Auguſtae habere ſolet.* Publica enim expoſcit vtilitas, vt, quod priuatis Imperatorum vſibus deſtinatur, ſeruetur foueaturque. Eo enim deficiente, ciuibus oneri eſt, quicquid ſumptuum requiritur ad alendam Domum Principalem eiusdemque dignitatem decenti ſplendore inſtruendam. Principis vero neceſſitatibus quum hac ratione ſubueniant ciuium opes; pariter in fiſcum communem priuati ſui patrimonii res referre et Princeps, aequi tenax, non denegabit. Id autem velim obſerues, non omnia fiſci priuilegia ad teſtamentariam hanc Principis ſucceſſionem, quippe quam a priuati iuris regulis exemtam non eſſe docui, applicanda eſſe. Priuilegia enim et ex ea ratione aerario conceſſa videntur, quod eius reditus ſublimi imperii iure nituntur. Fiſcus autem, Principis nomine hereditatem teſtamento delatam capiens, non plus iuris conſequitur, quam ipſe Princeps, defuncti perſonam, tanquam heres, repraeſentans, habet. Hunc vero quum priuato iure vti ſatis probatum arbitrer, nec fiſcus in hoc caſu ex alia cynoſura procedere poterit. In hunc ſenſum PAVLVS: [i]

h l. 6. D. de I. F.
i l. 60. §. 1. D. de Cond. et Dem.

*Fiſcus,*ait,*iisdem conditionibus parere debet, quibus perſona,a qua id ipſum, quod relictum eſt,peruenit.* Vſum haec praeſtabunt, quando diſquiritur, an fiſcus in debitorum hereditariorum bonis tacita hypotheca gaudeat, an contra debitoris debitorem agere queat, cetera. Durum videtur, fiſco in cauſa mere priuata quicquam concedere, quo priuatorum iuri quaeſito detrahitur. Hinc non delinquet,qui in hoc caſu contra fiſcum in dubio pronunciabit.[k] Ceterum in regnis limitatis refert quidem, ratione acquiſitionis, num populi aerarium, an Princeps heres ſcribatur. Sed hoc quidem parum officit adſtructae ſententiae, quae Principi non minus, quam fiſco, heredibus ciuium teſtamento ſcriptis, vſum iuris priuati tribuit. Eadem certe in vtroque acquiſitionis cauſa, factum ſcilicet priuati voluntarium, vnde quoque idem ſequitur iuris acquiſiti effectus. Haec vero forſitan vbiuis non eodem effectu applicari poſſe, ex diuerſis prouenit imperiorum formulis. Vnicum addo, quod, teſte experientia, in imperiis limitatis populus plerumque et in res Principis priuatas curam et poteſtatem quandam ſibi reſeruare ſoleat.

§. XXXI.

Quid vero adeo ego ſollicitus ſum de aerariis Principum atque regnorum? num rerumpublicarum ac ciuitatum forſitan obliuiſcor immediatae Imperii Reipublicae ciuis? Minime gentium. Paucis mutatis, poterunt, quae hactenus diſſerui, ad rempublicam, ſeu democratica, ſeu ariſtocratica regiminis forma conſpicuam, applicari. Illas quidem de certis incertisque perſonis veteris Latii ſubtilitates prolixe non perſequar.[l] Sufficiat meminiſſe, ciuitates, municipia, imo ipſum populum Romanum in perſonarum incertarum claſſem quondam fuiſſe relata, et ſub hac ſpecie a capiendis hereditatibus excluſa.[m] Quam inconcinna haec ſit hypotheſis, et quam exigui ſint momenti rationes, quibus innititur, humaniores ICti

k l. 10. D. de I. F.

l vid. Illuſtr. GVNDLINGII Diſſert. de Princ. her. ex Teſtam ciu. C. III. §. 2.

m VLP. in fragm. tit, 22. ibique SCHVLT. in Iuriſpr. Anteiuſt.

ICti haud difficulter perſpicient. [n] Procedente igitur tempore, haec deſierunt, ciuitatesque ad hereditatum lucra admiſſas ius Romanum loquitur. [o] Dubium ergo non eſt, quin et iure Romano nouiori ciuitas adire poſſit delatam per teſtamentum priuati hereditatem. Id èo certius eſt, quum et aliis collegiis contra iuris veteris regulam idem in legibus conceſſum ſit. [p] Diſquirendum igitur, qua ratione et quo effectu hereditates relictas ciuitas ſibi acquirat. Quondam adire poterat per ſeruum publicum, ſublatisque iure nouo cretionum ſolennitatibus, per ſyndicum eiusque actorem. Quum vero minorum iure ciuitates gaudeant, reſtitutio in integrum ipſis non erit deneganda, ſi adminiſtratorum negligentia forſitan laeſae fuerint. Sed tunc demum reſtitutione ciuitati ſubueniendum erit, ſi damnoſam adierit hereditatem, ſi contra eam quis vſuceperit, cetera. Noli vero eandem ad ea damna extendere, quae ex defuncti facto oriuntur. Huius enim perſonam quum vnitate morali iam ſiſtat aerarium publicum, in negotiis inde prouenientibus nec communium priuilegiorum vſum huic prodeſſe arbitror. Lucrum igitur hereditarium fiſco accreſcit, communi neceſſitati applicandum, non vero nec inter adminiſtratores, nec inter ciues diſtribuendum ſingulos. Magis enim vtilitatem publicam, quam ſingulorum commoda, reſpexiſſe, teſtator cenſendus eſt. Olim quidem et Decurionum ordini ex ciuium teſtamentis interdum quid obueniſſe obſeruo. Idem quin hodie liceat, dubitandum non eſt, dummodo de mente et ſententia

n Scilicet habere municipia loco priuatorum, permittere eis rerum aliarum, praediorum, ſeruorum acquiſitionem, ius ſuccedendi libertis ſuis illis adſcribere *l.* I. *D. de libert. vniu.* et tamen ius capiendi ex teſtamento obtentu incertae perſonae, quam ciuitates obtinere veteres putabant, illis denegare, non ſatis apte cohaerere videtur. Forte arcana ratio hoc ſuaſit, ne nimium diteſcerent municipia et praedia priuatorum dominio ſenſim eximerentur.

o Sic VLP. l. c. municipiis fideicommiſſas hereditates debuiſſe reſtitui refert. v. *l.* 101. *D. d. Leg. III.* De iure capiendi hereditates agit *l.* 12. *C. de hered. inſtit. l.* 121. *D. de Leg. I.*

p Intelligenda eſſe collegia tantum licita, indicat *l.* 8. *C. de H. I.* De eccleſia idem probat *l.* I. *C. de SS. Eccl.* vtut olim Deos heredes ſcribere non licuerit.

Digitized by Google

tia teſtatoris ex tabularum inſpectione conſtet. Pari ratione, vbi non vna datur redituum publicorum adminiſtratio, fiſcus, quem in republica ſubordinatum diceres, quo minus heres ſcribatur, nihil prohibet. Eo pertinet exemplum, quod CAPITOLINVS [q] de Miſitheo refert, quod Romanam Remp. heredem ſcripſerit, *vt, quicquid eius fuerat, vectigalibus vrbis accederet.* Liberalitatis in ſubditos exercitae lucuentum exemplum praebet Auguſti teſtamentum, quo *populo et plebi CCCCXXXV. praetoriarum cohortium militibus ſingula nummum millia legauit.* [r] Notat ad Taciti locum Freinsheimius, quae populo relicta, publicis deſtinata fuiſſe vſibus; quae plebi, per tribus diuiſa. Sic Caeſar, teſte SVETONIO, [s] *populo hortos circa Tiberim publice, et viritim trecenos ſeſtertios,* legauit. Ciuitatem et per modum ſubſtitutionis hereditatem capere poſſe, docet exemplum, a IVLIANO ſeruatum. [t] Ceterum in teſtamentaria ſucceſſione et ciuitatis fiſcum quoad onera hereditaria communi iure cenſeri, adeoque tum creditoribus obligari, tum legata praeſtare debere, ex omni tractatione ſatis patebit.

CAPVT V.

DE SVCCESSIONE FISCI IN BONA DAMNATORVM.

§. XXXII. *Bonorum publicatio tribuit ſucceſſionem vniuerſalem. De poenarum neceſſitate. De ſeruitute poenae apud Romanos. Publicatio quaenam bona afficiat.*

§. XXXIII. *Priuilegium liberorum. Nouellae Iuſtiniani conſtitutiones.*

§. XXXIV. *De partiaria bonorum ademtione.*

§. XXXV. *De ſucceſſione in bona autochirorum.*

§. XXXII.

Bonorum ademtio publicatioque, inter poenarum genera relata, communibus gentium moratiorum ſuffragiis approbatur. Romae

q in Gordiano Tert. c. 28.
r TACITVS Annal. L. I. c. 8.
s in Iul. Caeſare c. 83.
t l. 30. D. de Vulg. et Pup. Sub.

Digitized by Google

mae eandem maximopere viguiſſe, veteris iurisprudentiae reliquiae teſtantur. Senſim tamen ſenſimque et nouella cumprimis Iuſtiniani conſtitutione illud poenale ius limitatum eſſe, ipſa legum hiſtoria docet. Nullus hic quidem occurrit hereditatis titulus. Sed vniuerſalem tamen habes ſucceſſionem, hereditati fere aequiparandam. Imo animaduerto modum, priuatorum patrimonium acquirendi, ex quo ampliſſima olim fiſcus Romanus accepit incrementa. Non igitur hoc acceſſionis genus intactum mihi eſt relinquendum, nulloque quaſi ſymbolo collato, ex conuiuio diſcedendum. Ex iuris autem Romani ſententia aut criminis atrocitas ſupplicium capitisque diminutionem cum omnium bonorum publicatione meretur, aut pars ſaltem patrimonii in commiſſi delicti poenam fiſco addicitur, aut denique bona auferuntur ei, qui ſibi ipſi violentas intulit manus. Generatim probatione vix indiget, quod Romae in facinoroſos capitali ſupplicio animaduerſum ſit. Imo quamcunque demum fingas rempublicam, vix ac ne vix quidem eadem ſalua erit, niſi vltrici gladio improbi delinquentium auſus reprimantur. Compeſcenda eſt licentia, in publicae diſciplinae exitium irruptura, in ciuium terrorem flagitiorumque emendationem. Reſcindenda ſunt membra putida,

- - - *ne pars ſincera trahatur.*

Varia inde prouenerunt poenarum genera, quarum grauiores et atrociores mortem inferebant, vel libertatis ciuitatisque inaeſtimabile auferebant bonum. Sub libera republica, quum adhuc ciuitatis Romanae ius in maximo pretio haberetur, nefas erat, in ciuis Romani caput, inconſulto ad minimum populo, animaduertere, quinimo de nonnullis criminibus ipſe populus iudicabat. Inde euenit, vt, qui ad ſupplicium rapiendus erat, adempta ciuitate libertateque, ſeruus diceretur, indeque *Poenae ſeruitus* enata, quam ad fictiones iuris non prorſus inconcinnas nonnulli referunt. [u] In alia omnia eunt, qui ſeruitutis huius origines ex gentilium ſuperſtitione deriuant, et capitali ſententia damnatos Diris et Furiis

u V. GERHARD. NOODT. Probab. L. III. c. 12.

Digitized by Google

vltricibus, quas Poenas dictas fuiſſe putant, deuotos aſſerunt.[x] Quod vti aliis curatius inueſtigandum relinquo; ita certum eſt, de ipſa Poenae ſeruitute teſtari, quae in Digeſtis ſuperſunt, veterum Iureconſultorum fragmenta. Ita CAIVS:[y] *Qui vltimo ſupplicio damnantur, ſtatim et ciuitatem et libertatem perdunt.* Et capite damnatus *ſeruus poenae* effici[z] ſcribitur. Quicquid damnato in metallum teſtamento relinquitur, pro non ſcripto habendum, quia non Caeſaris, ſed *poenae ſeruus eſt.*[a] Sic efficiebatur, vt ob crimen damnati nec habere patrimonium, nec iis iuribus frui potuerint, quae ciuibus propria erant. Hinc non habebant heredem, ſed *fiſco* competebat ius bona occupandi. Haec igitur bonorum amiſſio arctiſſimo nexu cum condemnatione cohaerebat, et reum ſequebatur, etſi conceptis verbis de bonis auferendis nihil ſtatueret atrox ſententia. Secus erat in relegatione. Traiani enim clementia introductum eſt,[b] vt relegatis ſalua atque integra maneant bona. Vnde ALEXANDER, Imperator:[c] *Deportatorum,* ait, *in inſulam ab eo, cui id faciendi ius erat, bona fiſco vindicantur; relegatorum autem non, niſi ſententia ſpecialiter adempta fuerint.* Concernebat haec publicatio omnia damnati bona, condemnationis tempore pleno iure ab ipſo poſſeſſa. Hinc bona fideicommiſſo ſubiecta legibus fiſco non cedebant: ſed reſtituenda erant iis, quibus teſtatoris voluntas illa ſeruari voluit.[d] Hinc, marito damnato, dotem vxor iure repetit. Poena enim ſuos auctores manere debet. Singulare eſt, quod ſcribit VLPIANVS[e]: *Quinque legibus damnatae mulieris dos publicatur: maieſtatis, vis*

x v. Viri quondam Magnifici, IO. RICHEY, Reip. patriae Syndici in aula Caeſarea, amici et fautoris mei, dum viueret, colendi, Vindobonae praematura proh dolor morte patriae ſuae erepti, doctiſſima Diſſ. exhibens Vindicias Praetoris Romani §. 14.

y l. 29. D. de Poenis.

z l. 6. §. 6. D. de ini. rupt. irr. teſtam.

a l. 3. D de his quae pro non ſcript. add. l. 17. D. de Poen.

b l. 1. et 14. D. de interd. et releg.

c in l 8. C. de Poen.

d l. 48. §. 1. D. de I. F.

e l. 3. D. de Bon. Damn.

Digitized by Google

vis publicae, parricidii, veneficii, et de ſicariis. Haec enim crimina ſeuerius coerceri, publicae quietis ſecuritatiſque intererat. Saluae tamen marito contra fiſcum ſunt actiones, quae ipſi ex cauſa dotis enaſcuntur. [f] In ceteris vero delictis maritus dotem lucratur. Nec fiſcus, quae ad cauſam pannicularíam pertinebant, capiebat. Exſtat de hac cauſa HADRIANI reſcriptum, [g] cuius ſententia, interpretibus nonnihil aenigmatis habere viſa, a GVTHERIO ex Florentino codice emendatur, adiecta illuſtratione haud improbanda. Solebant vero, quae damnati ſecum attulerant, a Praeſidibus vindicari, non in proprios priuatoſque vſus conuertenda, ſed ad largitiones, quibus Praeſides defungi debebant, ſeruanda.

§. XXXIII.

Hereditatem paternam liberis ſeruare, omni tempore aequiſſimum viſum eſt. Hinc iuſtiſſimum titulum, quem in haec bona ipſa natura quodammodo liberis conſtituit, fauore ſuo leges ciuiles tueri, vbiuis fere animaduertimus. Pari ratione leges poenales damnatis ſtatutae eorum, quae liberis debentur, haud immemores fuerunt. Legitimam quidem iam olim ipſis ſaluam manſiſſe, ob legitimae portionis fauorem ſine temeritate aſſeri poſſe videtur. Non enim iniquum ſolum eſt, vt paterno ſupplicio fortuna liberorum peſſum eat, illique innocentes in poenae ſocietatem trahantur, ſed reipublicae quoque intereſt, ne orbi efficiantur egeni. Luculenter de hac liberorum praerogatiua diſſerit PAVLVS, [h] portione tamen non definita. Idem priuilegium et adoptiuis tribuit, modo in fraudem fiſci arrogatio non ſit facta. Patet igitur, Alexandri Imperatoris aetate, ſub quo floruit Paulus, Themidis decus atque oraculum ſui temporis, exiſtentibus liberis, non omnia damnatorum bona in fiſcum eſſe illata. Acceſſit his indulgen-

H 2

f l. 4. et 5. eod. Sic e. g. ob impenſas in rem dotalem factas, ob mores vxoris improbos, vel adulterium agere poteſt.

g in l. 6. D. eod. conf. GVTHERIVS de Offic. Dom. Aug. p. 297. Singulari Diſſ. ad hanc legem commentatus eſt Vir Conſult. IO. MVLLERVS, ciuis noſter honoratiſſimus.

h l. 7. D. de B. D.

Digitized by Google

dulgentior THEODOSII et VALENTIS conſtitutio, [i] quae dimidiam bonorum partem liberis ſeruat. Quod quum et proli Decurionis damnati conceſſiſſet, reliquam huius patrimonii portionem Curiae aſſignauit, cui integram Decurionis damnati fortunam iubet deferri, ſi ἄπαις ille deceſſerit. Quod PAVLVS [k] annotat, ſi damnatus plures liberos habeat, omne ius fiſci nonnunquam ceſſaſſe, id quidem ad diſpenſationis veniaeque caſus refero, qui ius commune non conſtituunt. Demum IVSTINIANVS [l] publicationis cauſam, quam in *ſeruitute poenae* veteres quaerebant, penitus ſuſtulit, et *nullum ab initio bene natorum ex ſupplicio ſeruum fieri* permiſit. Sublato igitur veteris iurisprudentiae principio, quod bonorum confiſcationes introduxerat, poenarum quoque rigor et incrementa, fiſco inde enata, ceſſabant. Salua itaque in poſterum damnatis erat libertas. Eosdem autem ciuitatem amiſiſſe, dubitandum non erit. [ll] At vero criminum, quae committebantur, atrocitas nonnunquam omnium bonorum amiſſione plecti merebatur. Propter ipſam igitur delictorum grauitatem et directam legum animaduerſionem iam patrimonii iacturam fecerunt damnati. Noua conſtitutione [m] mitigata eſt confiſcationis ſeueritas. [n] Iuſſit Imperator, vt liberis et aſcendentibus vsque ad tertium gradum paterna ſucceſſio ſeruetur: his vero non exſtantibus, fiſcus occupet bona, omiſſis iis, qui a latere veniunt. [o] Haec ergo nouiſſima lex, excepto perduellionis crimine, omnes de

i l. 10. C. de B. Proſcr. ſeu Damnat.

k in l. c.

l Nou. XXII. c. 8.

ll conf. SCHILTER. ad D. Exercit. 38. §. 27.

m Nou. CXXXIV. c. f.

n In huius nouellae legis expoſitione interpretes nonnulli, nodum velut in ſcirpo quaerentes, concedunt quidem, abrogari, vel temperari potius legum ſeueritatem, quas Pandectae et Codex exhibent, non vero derogari confiſcationum poenis, quas ipſae Nouellae ſanxerunt. Ita prouocant ad *Nou. XII.* quae inceſtus crimen bonorum amiſſione puniri iubet, eamque ſublatam negant. Quum vero *Nou. CXXXIV.* tempore eſt poſterior, quis ſaluis interpretandi regulis legem nouiſſimam ſine ratione ad ius ſolummodo vetus reſtringere auſit. conf. RITTERSHVS. in Nou. P. XIII c. 4.

o *Auth C. de B. Damn.* diſconuenientiae vitio laborare, et erronee a latere venientes ad damnatorum bona vocare, inter omnes conſtat.

Digitized by Google

de publicatione bonorum iuris veteris ſanctiones in deſcendentium et aſcendentium fauorem abrogat, vt adeo operam perdant, qui criminum, ab hac regula exceptorum, exempla fingunt. [p] Seueriores autem confiſcationum poenae et olim ex rerum ſtatu interdum aliquatenus temperatae fuerunt. Sic, pendente accuſatione, et in reatu mortuorum bona fiſco non delata ſunt, etſi in carcere, vel vinculis detenti deceſſerint. [q] Morte enim extinguebatur accuſatio. Aliud autem in maieſtatis crimine ſeruare iuſſit facti atrocitas. [r] Singulare eſt, quod, damnato filiofamilias, patri caſtrenſe peculium non fuerit ereptum. [s] An de aduentitio idem dicendum ſit, leges non decidunt. Forte diceres, potiore iure hoc patri cedere. Ea vero ratione nihil caperet fiſcus. Sed his quidem ego non immoror, quum nouiori iure parentibus ſatis ſuperque ſit proſpectum.

§. XXXIV.

Ad partialem nunc bonorum publicationem progredior. Hanc non fuiſſe irrogatam, niſi ſententia expreſſe ita decernente, vero non videtur abſimile. Exempla quidem huius rei olim ſaepius in relegatis occurriſſe, ex legibus colligo. Luculentum huius moris teſtimonium [t] iam ſupra adduxi. Clarius res patet ex MARCIANI fragmento: *Eorum, qui in perpetuum exſilium dati ſunt, vel relegati, poteſt quis bonorum partem ſententia adimere.* [u] Ad tempus tantum relegatis bonorum neque vniuerſitatem, neque partem vnquam ademptam eſſe, deprehendo. Patria vero in perpetuum eiecti non ſemper poenae comitem habuerunt bonorum publicationem. Quae igitur crimina hac poenae adiectione potiſſimum plecti conſueuerint, diſquirendum eſt. Iunctam autem fuiſſe partialem bonorum ademtionem non ſolum poenis, legum auctoritate

p RITTERSHVSIVS ad Nou. P. XIII. c. 4.
q l. 45. §. 1. D d. I. F. et l. pen. C. eod.
r l. f. C. de Bon. eor. qui etc. Copioſius haec perſecutus eſt Illuſtr. GVNDLINGIVS in Tract. ad L. Maieſt. p. 50.
s l. 3. C. de Bon. Proſcr.
t l. 8. C. de Poen.
u l. 4. D. de Interd. et releg.

Digitized by Google

ctoritate iam determinatis, ſed iis quoque, quae iudicis arbitrio definiuntur, non vnum probat argumentum. Huc referenda inprimis videtur ſancita antiquioribus legibus adulterii poena. Conſtituerat AVGVSTVS lege Iulia, quam ad coercendam indomitam hanc libidinem tulerat, vt huius criminis rei reaeque relegarentur in inſulam cum publicatione dimidiae partis bonorum.[x] Aliud exemplum ſuggerit PAVLVS,[y] quando de his, qui poculum abortionis, aut amatorium ſine dolo et citra perſonae enecationem dederunt, docet, *honeſtiores in inſulam, amiſſa parte bonorum, relegari.* At vero delictorum ſaepius adeo implicata ſolet eſſe ratio, vt ſpecialius poena definiri nec ſemper a Legislatore poſſit, nec ea, quae factum circumſtant, grauiſſimorum criminum poenas ſecundum legis rigorem citra iniquitatem in delinquentes ſtatuere permittant, ſed animaduerſionem interdum iubeant temperare. Hinc non dubito, quin et apud Romanos in irroganda relegatione bonisque pro parte publicandis maioribus magiſtratibus arbitrium aliquod, conſulto inprimis Principe, relictum fuerit. Certe adductum ſupra MARCIANI locum non de ſolis lege definitis poenis intelligendum eſſe, verborum ſenſus indicare videtur. Loquitur enim ICtus de bonis *ſententia*, non *lege*, ademptis. Quam autem in quauis iuris ad factum applicatione ſequimur, in delictis quoque puniendis locum habebit regula, ius in facto poſitum eſſe.

§. XXXV.

Denique apud Romanos et eorum bona fiſco interdum accreſcebant, qui ſibi ipſi violentas intulerant manus. Autochiriam qui noſtris temporibus ex naturali ratione defendere conetur, neminem arbitror exſtiturum eſſe. Apud Romanos Stoicorum quidem doctrina rigidiores paullulum producebat ſententias. Eo pertinuit, quod putauerint, ſapienti licere, e vita impune exire, ſi pa-

x PAVLI Rec. Sent. l. 2. t. 26. §. 14. conf. IO. GVIL. HOFFMANNI eruditiſſ. Comment. ad L. I. de Adulteriis.

y L. 38. §. 5. D. de Poen.

ſi patriae inutilem ſe agnoſcat, ſi gentis turpitudini ſupereſſe nolit, ſi dolores ſuſtineat non tolerandos, cetera.[z] Sed Stoicorum placita etſi ICtorum plurimi ſequerentur, approbandam tamen laudandamque legibus ſuis autochiriam non cenſuerunt Romani. Catonis factum laudibus tollunt CICERO[a] et SENECA:[b] non tamen ab omni forſitan ambitione immunis fuit iſte mortem ſibi accelerandi conatus. Indiſtincte autem nec antiquiſſimis temporibus licuiſſe vitam ſibi adimere, ex SERVIO[c] patet, qui memorat, cautum fuiſſe in Pontificalibus libris, vt qui laqueo vitam finiiſſet, inſepultus abiiceretur. Idem refert, Tarquinium Superbum, quum cloacas facere populum coegiſſet, et ob hanc iniuriam multi ſe ſuſpendio necaſſent, iuſſiſſe corpora eorum cruci affigi. Ipſe SENECA, ingenioſus ceteroquin autochiriae defenſor, *inuenies*,[d] inquit, *ſapientiam profeſſos, qui vim afferendam vitae ſuae negent et nefas iudicent, ipſum interemtorem ſui fieri. Exſpectandum eſſe exitum, quem natura decreuit.* Quid igitur in eos, qui voluntariam mortem ſibi parabant, ſtatuerunt Romani? Puniri voluerunt, qui ſine cauſa vitae finem ſibi conſciuerant: ſed poenam in legibus expreſſam non reperio. Addit rationem MARCIANVS,[e] vt videtur, leuiorem: *Qui ſibi non pepercit, multo minus alii parcet.* At, inquis, nonne iniquum eſt, puniri eum, qui iam mortuus eſt, aut vltrici ſententia proſequi eum, in quem nullus mali ſenſus cadit? Acute idem illud innuit GROTIVS,[f] dum: *in hos*, ait, *ſupplicium conſtitui aliud non poſſe, qui mortem pro ſupplicio non habent.* Imo vero reipublicae intereſt, exemplis homines deterreri. Quicquid acerbius in cadauer, famam, bona autochiri ſtatui-

z LAERTIVS Lib. VII. ſegm. 130. SENECA Ep. 58. 70. conf. IVSTVS LIPSIVS in Manud. ad Philoſophiam Stoicam L. III. Diſſ. 22. et 23.
a Lib. I. de Offic. c. XXXI.
b Epiſt. LXVII.
c ad L. XII. Aeneid.
d SEN. Epiſt. LXX.
e in l. 3 §. 6. D de Bon. eor. qui ante ſent.
f De I. B. et P. L. II. c. 19. §. 5.

Digitized by Google

ſtatuitur, ad ſeruandos a praeternaturali hoc auſu viuentes ſuſcipitur. Sed quum in autochiri mores, ingenium atque ſtatum intentius inquiratur, vix ac ne vix quidem caſus exiſtet, vbi ſine cauſa quemuis e vita deceſſiſſe aſſeri poſſit. Cauſarum, quibus ad inhumanum mortis conſilium homines inducuntur, duplex genus ſtatuebant Romani. Vel enim commiſſi delatique criminis conſcientia, vel doloris impatientia, vel demum fortunae acerbitas et victrix atra bilis homines vitae pertaeſos reddit. In poſterioris generis autochiros tantum abeſt, vt animaduerterent Romani, vt miſeratione ac planctibus potius dignos reputarent. Priores vero bonorum publicatione mulctandos recte cenſuerunt. Quid enim atrocius, quam crimina coaceruare, et, perditis fama conſcientiaque, in propria ruere viſcera, proprioque auſu perdere vitam? Ex ſola tamen admiſſi criminis, nondum delati, conſcientia praeſumtiue natam mortis voluntariae cauſam bonorum confiſcationi, excepto perduellionis crimine, non ſubiecerunt. Ordinario quidem iure morte ceſſabant accuſationes. In hac vero cauſa heredum officium erat, litem exſequi, et defuncti innocentiam defendere. Habetur enim, qui poenae metu manus ſibi intuliſſe creditur, pro confeſſo et conuicto, quam fictionem contraria probatione elidere heredibus licet. [g] Non ergo ſola autochiria, ſed et crimen huius ſanctionis cauſa eſt. Tale enim requirebatur delictum, ob quod ſi conuictus fuiſſet mortuus, bonis ipſi carendum erat. [h]

* * *

CAPVT

g l. 3. D. eod. l. 45. §. 2. et 3. de I. F.

h l. 3. §. 2. D. de bon. eor. qui ante ſent.

Google

CAPVT VI.

DE

VSV IVRIS ROMANI IN QVAESTIONIBVS FISCI CIRCA HEREDITATES PRIVATORVM, DE LEGIBVS, QVAE HVC SPECTANT, GERMANORVM, ET DE FORI OBSERVANTIA.

§. XXXVI. *Diſquiſitio generalis de vſu iuris fiſcalis Romani.*
§. XXXVII. *Hiſtorica tractatio de iure fiſci in Germania.*
§. XXXVIII. *Cuius indoles vlterius expoſita cum iure Romano componitur.*
§. XXXIX. *Imperii R. Germanici Status in territoriis ſuis gaudent iure capiendi bona Vacantia.*
§. XL. *Explicantur textus Iuris Saxonici.*
§. XLI. *De iure fiſci mero imperio adhaerente.*
§. XLII. *Fiſco domicilii an indiſtincte mobilia et immobilia deferantur.*
§. XLIII. *Bon. Vacant. vſus examinatur quoad praecipua capita.*
§. XLIV. *Tertius B. V. caſus ſingulari facti ſpecie illuſtratur.*
§. XLV. *De modo procedendi hodierno.*
§. XLVI. *De iure Hagenſtolziatus.*
§. XLVII. *De iure Detractus hereditatum.*
§. XLVIII. *De obſeruantia fori quoad bona ereptitia.*
§. XLIX. *Poenae confiſcationis in Germania vſitatae referuntur.*
§. L. *Concluſio.*

§. XXXVI.

Varias in ſuperioribus multiplicesque expoſui cauſas, ex quibus ciuium hereditates fiſcus acquirere vel integras vel ex parte poterat. Alios harum acquiſitionum titulos ab aequitatis et prudentiae regula non alienos, alios vero duros ſatis fuiſſe, et in opum priuatarum perniciem detorqueri potuiſſe, quiuis rerum ciuilium gnarus iudicabit. Rebus enim geſtis Caeſarum Romanorum curatius inſpectis, ſub optimis quidem Principibus tolerari poterant haec fiſci compendia. Sed ſi quem fortuna ad gubernandam Rempublicam euexerat improbi et ſaeui ingenii hominem, has legum ſanctiones, in peſſimum vſum verſas, maximopere priuatos afflixiſſe deprehendimus. Referri huc poteſt, quod de Auguſto legimus: [i] *Diui Auguſti temporibus longa temporum quies et con-*

i v. Dialogus de Cauſis Corruptae Eloqu. c. 38.

Digitized by Google

et continuum populi otium et aſſidua Senatus tranquillitas. Plane diuerſa de Tiberio habet TACITVS:[k] *Formam vitae iniit, quam poſtea celebrem miſeriae temporum et audaciae hominum fecerunt.* Anxia ergo ſub hoc principe et pauens ciuitas, et quouis momento non de fortunis ſolum, ſed de vita et fama ciuium ſollicita, horrebat. Eadem fata ſaepius Romani experti fuiſſe videntur, quum audirentur calumniatores, excitarentur accuſatores, teſtes conducerentur, criminibus mirum in modum adauctis, idque eo fine, vt ditiorum opes iuris obtentu in fiſcum cogerentur. Sed vti nihil tam ſanctum eſt, quod hominum improbitas in vitium vertere non poſſit, ita nec legum Romanarum iuſtitiae officiet illa temporum infelicitas, qua in ciuium fortunas ſaeuire licebat. Equidem quum legum origines cauſasque expendo, imperandi rationibus eas ſatis conuenientes et plerumque temporum fortuna innixas deprehendo. Nonnulla tamen introduxiſſe videtur ICtorum ſolertia, qui legum duritiem ſubtili interpretatione emollire contenderunt. Sed inprimis recentiorum Imperatorum clementia[kk] aliquatenus temperauit iuris veteris rigorem, adeo, vt Iuſtiniani aetas anteriora ſaecula aequitatis laude multum ſuperare videatur. Non omnia tamen lucra, fiſco ex hereditatibus obuenientia, penitus abrogata ſunt, quum quibusdam valorem ſuum non adimere prudentia et publicae vtilitatis ratio ſuaderet. Quum vero Germania Romano iure vtatur in ſubſidium, eiusque auctoritas a fori vſu maxime pendeat, temere et indiſtincte fiſco tribui nequeunt, quaecunque ſtatuunt leges Romanae. Leges enim patriae conſuetudinesque Germanorum ICto prudenti in cauſis decidendis nunquam ſunt ex oculis dimittendae. Ex iuſta igitur vtrarumque inter ſe collatione ſolidum demum exſpectandum erit iudicium. Quapropter vt de applicatione eorum, quae hactenus tradi-

k Ann. L. I. c. 74.

kk Animi moderati et vere Regii indicium prodit Theodericus, Gothorum Rex, dum, *Fiſci*, inquit, *volumus legale cuſtodire compendium, quia noſtra clementia rebus propriis videtur eſſe contenta. Et ſicut nullum grauare cupimus, ita debita nobis perdere non debemus.* CASSIOD. Variar. L. I. ep. 19.

tradidi, eo certius conſtet, notatu digniora eligam, eademque, tum ex Germaniae inſtitutis illuſtranda, tum ICtorum recentiorum auctoritate ſtabilienda curabo. Statim vero in limine dolendum mihi eſt, ſtatuta Germanorum vetuſtiora circa ius fiſci in hereditates priuatorum in eorum legibus raro occurrere. Quo ipſo inducor, vt generatim de indole iuris fiſcalis in Germania quaedam praemittere, haud inconſultum putem.

§. XXXVII.

Rempublicam Germanicam, conſtat, complures complecti prouincias et territoria diuerſa, quae tamen omnia ab Auguſtiſſimi Caeſaris imperio, modo prorſus ſingulari temperato, pendent. Haec territoria vti ſuo ſingula regimine velut animantur, ita eorum Dominis in publicis comitiis ad communia Imperii negotia voto non ſolum conſultatiuo, ſed et deciſiuo concurrendi poteſtas competit. [l] Iam igitur, aſſerta per publicas conuentiones Statuum Imperii libertate, pro certo habendum eſt, ſuperioritatis territorialis elogio [m] contineri quaeuis Regalia iura, [mm] modumque ea exercendi liberum, [n] niſi legibus pactiſque reſtrictus deprehendatur. Inter hos eminentes territorialis poteſtatis effectus ius fiſci non minus, quam ius, legibus fiſci emolumentis proſpiciendi referri, indoles regiminis ciuilis pariter ac experientia quemuis docet.

 Nec

l Inſtr. Pac. Oſnabr. Art. VIII. §. 2. it. Rec. Imp. de a. 1500. §. 51. a. 1544. §. 101. a. 1536. §. 110. a. 1560. §. 42. Ipſe ſtylus et verba, quibus Receſſus Imp. concipiuntur, idem indicant. conf. LVDOLPHVS HVGO de Statu Regionum Germ. HERTIVS de Superioritate Territoriali.

m Quam late pateat Superioritatis Territorialis ambitus, ICtis antiquioribus non adeo liquidum videbatur. Senſim ſenſimque et moribus forſitan magis, quam expreſſis legibus adoleuit illa poteſtas. Sed hodie non eſt, cur de ampliſſimo eiusdem effectu dubitemus. Militat validiſſima iuris praeſumtio pro liberrimo cuiusuis Regalis exercitio, Statibus Imp aſſerendo, ſiue intra territorii fines exerceantur iura, ſiue exteros concernant, vsque dum reſtrictio legibus, pactis, moribus fundata probetur. conf. GOTTL. GERH. TITII Specimen I. Publici L. III. c. 4. DIET. HERM. KEMMERICHII I. P. L. VII. c. 1.

mm Inter haec Fridericus, Imperator expreſſe refert II. Feud. 56. *bona vacantia et quae vt ab indignis legibus auferuntur.*

n v. Inſtr. Pac. Oſnabr. A. VIII. §. 1. conf. HERTIVS de Orig. et Progreſſu Special. I. R. G. Rerump. in Opuſc. T. II.

Digitized by Google

Nec antiquiore tempore, antequam ſuperioritas, qua Status Imperii gaudent, ad tam ſublime poteſtatis faſtigium, in quo nunc conſpicitur, aſcendiſſet, ignota fuerunt Germanis fiſci iura, [o] quae tuendae regiae dignitati ferendisque publicis ſumtibus inſeruiebant. [p] Duces Comitesque, qui prouinciis adminiſtratores dati iure magiſtratus vice Caeſaris praeerant, non ius ſolum reddebant, remque, vbi opus erat, inſtruebant militarem, ſed Auguſti, quoque curabant praedia ſalica, reditusque, vectigalia et cenſum Regium colligebant. Ciuitatibus, non Praefectoriis, ſed Regalibus [q] Aduocati Regii [r] praeficiebantur, qui inter alias muneris partes iuris fiſcalis quoque regiique cenſus [s] curam gerebant. Poſt, vbi,

o Francorum enim Regum temporibus Domania iam in vſu fuiſſe notat HOTOM. de Ant. Iure Regni Gall. L. I. c. 8. *Sciendum eſt, antiquitus inſtitutum fuiſſe, vt Francorum Regibus non modo Fiſcalia iura, qualia Romanis Imperatoribus conceſſa erant, verum etiam certa fruenda praedia aſſignarentur, quae barbaro vocabulo Demania Regia appellantur, plerumque autem Domania.*

p Suffragatur Venerandus ABBAS GOTTWIC. in Chronico incomparabili T. I. p. 149. his verbis: *Ex quibus omnibus deducitur, Henricum I. habuiſſe ius Fiſci Regii in ſingulis fere Germaniae, ideoque in ſingulis prouinciis Germanicis, Ducum licet poteſtati iudiciariae ſubiectis, Imperatores certas tamen ſibi terras fiſco Regis immediate adſcriptas et incorporatas, certisque miniſtris Regiis, qui Procuratores Fiſci, miſſi item Regii primitus, et ſaeculis poſterioribus Palatini Prouinciales appellabantur, concreditas reſeruaſſe.*

q *Regales* ſ. *Imperiales* dictae, quas nullo intermedio ſibi ſubditas retinuerunt Imperatores. Differunt a Praefectoriis, in quibus Duces non proprio, ſed Vicario Caeſaris nomine iurisdictionem exercebant. Duces eiusmodi iurisdictione ſaepiſſime ob auaritiam, aut impotentiam priuatos fuiſſe, vrbibus in Imperatoris ditionem denuo redactis indicare videtur ADAM. BREM. L. II. Hiſt. Eccleſ. c. 1. *Adaldagus primum vt ingreſſus fuerat Epiſcopatum, Bremam longo prius tempore poteſtatibus ac iudiciariis manu oppreſſam praecepto Regis abſoluit, et inſtar reliquarum vrbium immunitate ſimulque libertate fecit donari.* v. Chron. cit. T. I p. 87.

r conf. DANIEL HEYDER von den alten Reichs-Vogteyen.

s Patet hoc ex diplomate Henrici VI Romanorum Regis, ap. LEVCKFELDVM in Antiqu. Poeldenſ. appendice L. IV. n. 13. vbi mandatur Aduocato Goslarienſi, *vt cenſum a ciuibus Goslarienſibus de areis ciuitatis pendendum, et ab Imperatore eccleſiae donatum ſingulis annis die ſtatuto cum magiſtris eccleſiae colligi faciat, cumque eccleſiae integraliter repraeſentet, contumaces vero et aliquorum dierum defenſores auctoritate imperiali et regia, ſub poena ſexaginta ſolidorum, ſoluere compellat.*

Digitized by Google

vbi, ſenſim ſenſimque Reipublicae Germanicae ſtatu mutato, prouinciae in Ducum Comitumque ius proprium eorumque poſteros, nexu plerumque feudali, tranſirent, [t] regaliumque inſimul iurium vſus aliquis his non minus, quam Epiſcopis, [u] concederetur, probabile eſt, magnam quoque redituum fiſcalium partem in hereditarios territoriorum poſſeſſores collatam eſſe. Ii progreſſu temporis tum Caeſarum indulgentia, tum emtionibus atque oppignorationibus aliisque artibus, quas ſtatus temporumque ratio ſuggeſſit, et declinans Caeſarum fortuna adiuuit, varias ſuis patrimoniis fiſcales acceſſiones acquiſiuiſſe videntur. Quamuis autem Caeſares complures Domanii partes in prouinciis ſibi retinuerint, easque ſubinde acrius vindicarint, [x] creuit tamen ex his

I 3 prin-

t Iam Ludou. Pius non beneficia ſolum Regalia, ſed et villas Regias regni proceribus conceſſit in poſſeſſionem perpetuam, teſte THEGANO de geſt. Ludou. c. 19. Poſt hunc qui ſequebantur Imperatores antiqui iuris in terdum tenaciores, in beneficiis ſucceſſionem raro indulgebant Vaſallorum poſteris. Vix igitur vltra Conradi Salici tempora hereditaria in territoriis Germaniae ſucceſſio proferenda eſt. Ne plura addam aut hiſtoricorum loca congeram, effecit diligentia SCHILT. in Diſſ. de Natura Succ. Feud. c. I. conf. 10. GVIL. ITTERVS de Feudis Imp. p. 27. ſq.

u Teſtatur hoc diploma Henr. I. monaſterio Bronienſi datum, quod exhibet GVNDLING de Henrico Aucupe p. 304. *Abbas eiusdem coenobii omnia iura, iudiciariasque poteſtates libere et poteſtatiue exerceat in his locis et in omnibus, quae poſſidet, et concedimus et confirmamus, et bannum et iuſtitiam, impetum et buſinam, pirgum regium, fora, telonia, viceconitatum, Wargaria, rectum et non rectum, vectigalia et quidquid pertinet ad iudicatum, integritatem reipublicae et incolumitatem et campeſtria et ſilueſtria iura et mortimanus ſuas et ab matrimonia libere in ſempiternum poſſideat.* Nec alienum ab hoc argumento, quod habet *Bulla Calixti II. Pontificis, a.* 1122. in famoſa illa cum Henrico V. Imperat. transactione emiſſa: *Ego Calixtus Henrico, Dei gratia, Romanorum Imperatori Auguſto, concedo electiones Epiſcoporum et Abbatum Teutonici Regno . . . . Electus autem Regalia per ſceptrum a te recipiat, exceptis omnibus, quae ad Romanam eccleſiam pertinere noſcuntur, et quae ex his iure tibi debet, faciat, ex aliis vero partibus Imperii conſecratus infra VI. menſes Regalia per ſceptrum a te recipiat.* conf. laudatiſſimus GODOFREDVS, ABBAS GOTTWIC. in Chron. p. 314. PFEFFINGERVS in Comment. ad Vitriarii Ius Publ. Lib. III. T. 18. p. 1512.

x Henricum V. fiſco Regio intentum fuiſſe iuribusque fiſcalibus inuigilaſſe, teſtatur CONR. ABBAS VRSPERG. ad a. 1119. *Henricus totius regni Sacerdotum atque Procerum nunciis compulſus generalem fieri apud Triburiam conuentum*

principiis forſitan prognata ſuperioritas territorialis et cum eadem ius fiſci. Illa enim adeo aucta eſt ac firmata, vt ſummi imperii analogum quoddam referat. Hinc fiſci quoque rationes ita compoſitas cernimus, vt ambitu ſuo omnes reditus, omnia iura complectantur, quae imperii ciuilis indoles et neceſſitas requirit, quaeque imperantium aerariis quodammodo adſcripſerunt mores gentium. Nec ciuitatibus Regalibus defuit occaſio, ad maiorem libertatis gradum enitendi. Auctis enim magiſtratuum ciuiumque opibus viribusque, Aduocatias pleraeque redemerunt. Regalium vero vſum aliae Caeſarum priuilegiis legitime quaeſitum conſtanter ſeruarunt, aliae praeſcriptionibus et tacita Imperatorum conceſſione acquiſiuerunt. Nonnullis quoque ad ius fiſci confirmandum forſitan profuit deriuatum ex quorundam opinione ex Italia iuris axioma: *ius fiſci cohaerere mero imperio.* Quo variis ex cauſis quaeſito, ſublatis Aduocatiis, pari cum reliquis Imperii Statibus iure perfruuntur.

§. XXXVIII.

Huius igitur iuris fiſcalis, quod hodie Statibus Imperii indubie competit, indolem nunc exponam. Ius fiſci ſecundum cuiusuis prouinciae Germanicae leges proprias et pacta publica exercendum eſſe, iam ſupra monui. Ad haec principia in definiendis cauſis fiſcalibus inprimis hic reſpiciendum eſt. Non vna enim regula omnem Germaniam diiudicari poſſe, ipſa regiminis ratio demonſtrat. Namque Eccleſiaſticorum territoriorum Dominis multo reſtrictior plerumque competit poteſtas, quam iis, qui terras ſaeculares iure hereditario poſſident. In vtriſque diſpar Statuum Prouincialium poteſtas conuentionibus litterisque reuerſalibus firmata deprehenditur.[y] Id autem dubio carebit, generatim

tum aſſenſit: vbi . . . . CVNCTAQVE REGVM ANTIQVORVM FISCALIA SVAM IN DITIONEM INTERIM RECEPIT. Quae iisdem verbis ab *Annaliſta Saxone Eccardino* ad h. a. p. 642. enarrantur. Nouiori tempore idem in ſcenam reductum eſt. v. Capitul. CAR. V. art. 23. LEOP. art. 29. IOS. art. 28.

y Eo fieri poteſt, vt ſubditus, qui patrimonialem exercet iurisdictionem, iure capien-

ratim ſtatus Imperii, virtute poteſtatis legislatoriae, fiſci quoque iura in ſuis territoriis mutare, et nouis acceſſionibus vel amplificare eiuſdem compendia, vel imminuere poſſe.[z] Hoc eo magis concedendum erit, quo certius temporum ſtatusque ratio rerum ciuilium mutationes interdum requirit. Vſum praeſtat haec veritas, vbi quaeritur, an Status Imp. nouas confiſcationum cauſas in terris ſuis ſtatuere queat, num vectigal hereditarium, quale Romae quondam fuit viceſima, introducere, num in negotiis ciuilibus legum vinculis fiſcum ſoluere poſſit? Quod vti aſſerere non dubito; ita monendum eſt, cauendum eſſe ei, penes quem τὸ κύριον eſt in Republica, ne poteſtatis limites egrediatur, ſed vt eum obſeruet cuſtodiatque modum, quem in ferendis legibus Imperii forma conſtituit. His igitur praemiſſis, patet, fiſci iura, quum nec propriis legibus, nec Imperii ſanctionibus definita ſint, ex iure Romano, quo in omnibus cauſis, patrio iure non neglecto, vtimur, recte deſumi ac diiudicari. Vſum ergo in cauſis fiſcalibus praeſtant leges Latii ſubſidiarium, non *dogmaticum* ſolum, ſed potius *deciſiuum*, idque tum vbi de acquirendis, tum vbi de conſeruandis rebus fiſco iam acquiſitis agitur. Equidem in illarum applicatione caute et circumſpecte procedendum eſſe, quilibet iuris peritus videbit. Fiſci enim iura magis ad publicum, quam ad priuatum ciuitatis ſtatum pertinent. In his vero, quae imperii modum concernunt, legum Romanarum eo minor eſt auctoritas, quo certius praeſens in Germania regiminis forma tum ab antiquioris Latii, tum a temporum Iuſtiniani inſtitutis recedit. Haec licet euidenter veritatis fundamento innitantur, parum tamen negotii mihi faceſſent, quum iuris ciuilis nouioris ſententia, ius fiſci circa hereditates ciuium definiens, communibus, quo ad maximam partem, principiis inſiſtat,

capiendi bona vacantia gaudeat, cui, ſi vel priuilegio, vel praeſcriptione nitatur, Princeps derogare nequit. Imo nec legum Imperii placita, ad quae ſeruanda ex pacto Imp. Status obligatur, iuſte negliguntur. Quam eminens enim eorundem eſt poteſtas, legum tamen publicarum vim infringere nequit. Probant hoc legum ſanctiones, quas in vectigalium cauſis et iuris monetandi exercitio Germaniae obſeruandas condidit.

z IO. BRVNNEM, Conſil. 76. p 307.

ſiſtat, nec ex propriis Romanae Reipublicae rationibus deducta deprehendatur. Specialiori euolutione non arbitror indigere. Tutum ſatis Scyllam inter et Charibdin iter nobis praeſtabit haec regula: *legum Romanarum conſtitutiones, in fiſci fauorem latae, gentium moratiorum moribus probatae, et communibus prudentiae regulis ſubnixae, in Germania receptae praeſumuntur.*

§. XXXIX.

De vſu igitur iuris fiſcalis circa bona vacantia nunc primo loco loquendum eſt. Iam ſupra monui, incommodis non carere, ſi libera occupationum iura, quae naturalis ratio omnibus tribuit, in eius generis bona nullius concedantur. Hinc omnium fere gentium moribus prudenti conſtitutione fiſco aſſignata ſunt. [a] De cauſis plura in praeſenti non addam. Ius ipſum iam olim ab Imperatoribus Germanicis aſſertum fuiſſe, extra dubitationem poſitum videtur. Inter cetera, ex quibus hoc patet, argumenta, ſi ad antiquiora tempora excurrimus, probant illud priuilegia de iure capiendi bona vacantia ſtatibus conceſſa. [b] Etſi vero hodie vacantia,

a De Oſtrogothis, (de quorum inclytiſſimo in Italia regno erudite diſſerit V. Ill. IO. IAC. MASCOVIVS, Patronus noſter Reuerendus, in der Fortſetzung der Geſchichte der Teutſchen) hoc teſtatur CASSIOD. in cuius *Epiſt.* habetur decretum Theodorici, Regis, qui ita Dalmatiae conſulari reſcribit: *Quia caduca* (quae vox et Vacantia ſine dubio hoc loco complectitur) *bona fiſco noſtro competere, legum cauta decreuerunt, ideo de praeſentibus oraculis admonemus, vt, huius rei veritate diſcuſſa, ſi renera, vt ad nos perlatum eſt, nullus ei aut teſtamento heres exſtitit, aut proximitatis iure ſucceſſit, fiſci noſtri eam facias compendiis aggregari.* CASSIOD. *Varian.* L. V. ep. 24. p. 181. De Longobardis v. ſanctio ROTHARIS c. 7. 8. 16. T. 14. L. II. LL. Longob. quae diſponit, *vt, ſi quidam ſine heredibus deceſſerit; hereditas vniuerſa aut portio vacans ad curtem Regiam* i. e. fiſcum *deuoluatur.*

b Teſtantur hoc verba diplomatis, a Maxil. I. Palatinis conceſſi, quod exhibet Ill. MENCKEN. in Diſſ. de Iure Fiſci, mero etc. p. 27. *vti etiam aliarum perſonarum, ſi legitimum heredem non habent, aut relinquunt, hereditatem, et bona immobilia etc. ſine vllius rei exceptione, quae alias ſecundum iura ſcripta noſtrae noſtrorumque ſucceſſorum in imperio Imperatorum aut Regum camerae ceſſura fuiſſent.* Aliud habetur priuilegium, ciuitati Norimberg. a Carolo V. datum et a Rudolpho II. a. 1577. confirmatum, quo ius bona vacantia vindicandi permittitur, teſte KLOCK. T. I. Conſ. 22. Idem probat diploma Maximil. II. Francof. ciuitati datum, quod exhibet LVNIGIVS in Arch. imp. Part.

cantia bona ciuium mediatorum ad lucra territoriorum ſpectent; Caeſaris tamen fiſcus hereditatem capiet, ſi quem ſine herede mori contigerit, qui eius iurisdictioni immediate ſubiectus eſt. Non alienum ab hac tractatione putaui, diſquirere, an feudum apertum fiſci Caeſarei lucro cedat. Quod minores clientelas attinet, dubium non eſt, rem omnem ad Auguſti arbitrium pertinere, velitne eas Imperii domanio incorporare, an inueſtitura alioue titulo in alios transferre. Nihil enim de his in conuentionibus nouellis diſpoſitum reperire mihi licuit, adeoque ius Caeſaris, a multis retro ſaeculis quaeſitum, firmatum iam eſſe videtur. Feuda vero regalia iam a Caroli V. temporibus Imperii domanio Status incorporari voluerunt,[c] ſed nouiſſimo iure, ſi harum terrarum reinfeudatio conceditur, eadem conſenſui Electorum Principumque adſtricta eſt.[d] Quae in hac cauſa per duo nouiſſima ſaecula acta fuerunt, enarrare, non huius loci eſt. Rariores ſunt caſus aperturae, et, ſi qui forte exiſtant, prouida maiorum cura ſucceſſioni proſpexit. Forte etiam arcanae imperandi rationes ſubſunt, vt neque Caeſaris fiſco, neque Imperii domanio multum inde vtilitatis ſperandum ſit. Sed e diuerticulo redeo in viam. Imperii Romano-Germanici Status iure fiſci gaudere, praeter alia euincit Auguſtiſſimi Caroli VI. capitulatio in verbis: **Denen mit den** *Iuribus fiſci* **belehnten, oder dieſelben ſonſt durch beſtändiges Herbrin-**

K

Part. ſpec. cont. IV. P. I. p. 674. vbi occurrunt verba: Ebenmäßiger Geſtalt, da nun fürbaß in der Stadt Franckfurth iemands ohne rechtmäßige Erben oder Succeſſoren abgehen, und der Ends liegend oder fahrend Guth hinterlaſſen, oder iemand desjenigen, deſſen er unwürdig iſt, oder ſich unwürdig und unfähig gemacht, mit Recht entſetzt wird, welche in Latein bona vacantia und ab indignis ablata genannt werden, wollen, ſetzen, und meynen wir, daß ermeldte von Franckfurth ſolche an unſer Statt zu ſich nehmen und ihrem aerario zu gemeiner Stadt beſten einheimiſchen, und darinnen gleich unſerm Kayſerlichem fiſco zu einigen inuentario nicht verbunden ſeyn, ſondern ſich auch in deme, gleichwie obſtehet, aller und ieden beneficien, priuilegien, praerogatiuen und Freyheiten, ſo die Rechte unſerm Kayſerlichem fiſco zulaſſen, durchaus gebrauchen, derſelben ſich freuen und genieſſen ſollen, ſonder alle Gefährde.

c Capit. Caroli V. art. 24.

d Capit. Caroli VI. art. 11.

Digitized by Google

Herbringen habenden Churfürſten, Fürſten und Ständen.[e] Duas haec quidem pactio publica ius fiſci habendi cauſas exprimit, *inueſtituram* et *diutinam poſſeſſionem*, ſed nec tertiam, in iure territoriali fundatam, excludi probare videntur, quae ſequuntur, verba: ſondern die Landes-Obrigkeiten oder Dominos Territorii mit derer Confiſcirung gewehren laßen. Quod igitur alias, quando de poteſtate territoriali agitur, axioma allegari ſolet, *tantum poſſe Status in territorio, quantum Imperator in imperio;* id in aſſerendo Statibus iure in bona herede deſtituta eo potiore argumento applicatur, quo magis eidem expreſſis legum ſanctionibus proſpectum eſt. Vlterius haec illuſtrare et cum principiis iuris territorialis connectere videtur dogma, quod ius occupationis Principibus in rebus nondum acquiſitis vindicat, idque venationum, inſularum nouiter exiſtentium, quin etiam theſauri capiendi poteſtate ad regalia relata, ex communi Germaniae vſu probat. Si enim verum, nullius eſſe, quae dominum non habent amplius, nihil obſtat, quo minus legem occupationis his eadem ratione, vti rebus nondum acquiſitis, applicemus.

§. XL.

Sed obuenerunt mihi veteris Iuris Germanici placita, hoc loco non ſine illuſtratione praetermittenda. Ita enim ius Saxonicum Prouinciale:[f] Erſtirbt ein Eigen von einem Biergelden erbloß, ſind es drey Hufen oder darunter, ſo gehöret es in das Schultheißthum, von wem es auch erſtirbt. Von dreißig Hufen und darunter, das gehöret in die Grafſchafft. Iſt es mehr, als dreißig[g] Hufen, ſo iſt es dem König alles ledig. Textui huic iungen-

e Capit. Caroli VI. art. 21.

f L. III. art. LXXX. Verba apposui ſecundum textum editionis Gaertnerianae.

g Textus Gaertner. pro dreißig hic habet drey: ſed ſphalma typographicum ſubeſſe, quis non videt, quum et legis ſenſus et codicum aliorum collatio dreißig ſubſtitui iubeat? Addendus eſt L. I. art. XXVIII. Was von dergleichen Sachen, als Heergeräthe, Erbe oder Gerade, erbloß erſtirbt, das ſoll man dem Richter oder dem Frohnbothen, wenn er es fordert, nach dem dreißigſten ausantworten. Dieſes ſoll alsdenn der Richter Jahr und Tag unverthan aufbehalten, und warten, ob ſich iemand mit Recht dazu melde. Nach der Zeit kann es der Richter in ſeinen Nutzen verwenden.

Digitized by Google

iungendus eſt alius ex ſtatutis Weichbildicis: [h] Ob ein Erbe erbloß ſtirbet, da ſich niemand zuziehet binnen Jahr und Tag, das fällt an die Königliche Gewalt. Vti ſtilo iuris Saxonici vetuſti vox Erbe plerumque mobilia, vox Eigen immobilia denotat; [i] ita patet ex allegatis legum verbis res mobiles et immobiles minoris pretii iudici, immobiles maioris valoris regio fiſco adſcriptas fuiſſe. Quum vero ea, quae olim in prouinciis ad ius regium ſpectabant, poſt in Principum Statuumque dominium et poteſtatem concederent, nouo inde argumento ius fiſci territorialis capiendi bona vacantia corroboratur. Sed, quid iuris circa bona vacantia Saxonum leges iudicibus reliquerint, videamus. Sculterum Comitemque in diſtinctis mallis [k] iudicia exercuiſſe, monumenta vetuſtarum legum teſtantur. Scultetus cauſas ciuiles, Comes criminales iudicabat. Quum autem textus allegatus iuris Weichbildici regiae poteſtati eius generis bona propria ſimpliciter addicat, alter textus de ſolis ruralibus fundis, quorum poſſeſſores plerumque miniſteriales aut infeudati erant, loquatur, tertius denique de ſolis rebus mobilibus agat; probe haec a ſe inuicem ſeparanda ſunt, ne in antinomiam incidamus. Cur omnia Vacantia iure Weichbildico fiſco regio dicata fuerint, [l] vix ſuffi-

K 2 cientem

h Weichbild art. LIX.

i conf. quae erudite diſſerit B. IO. RICHEY in egregio libello *de Pactorum Dotalium Mutatione ob fauorem bonorum heredit. Iure Hamb. reſtricta.*

k Mallus iudicii locum ſtilo vetuſto denotabat, et interdum vexillo erecto, in Saxoniae terris Statuis plerumque Weichbildicis et Rolandinis indicebatur. v. CONRING. de Orig. Iur. Germ. c. 7.

l Quod olim in Imperii ciuitatibus omnia Vacantia fiſco regio ceſſerint, colligi poſſe videtur ex diplomate, quo Frider. I. Imperator Lubecenſium priuilegia confirmauit, id quod exhibet LVNIG. in Arch. Imp. P. ſpec. Cont. IV. P. I. p. 1331. In eo Imperator, *ſi quisquam mortuus ibi fuerit, et forte heredem non habuerit, omnem hereditatem et ſupellectilem, ſi nemo proximorum ſuorum venerit, regiae poteſtati ſoluendam* reſeruauit. Sed forſitan hoc inde prouenit, quod Aduocati Caeſarei non ſuo, ſed Caeſaris nomine omnia adminiſtrarent. Si huc referre licet Ius Alemann. Prouinc. iuris mutatio inde erit deducenda. Ita enim de Vacant. c. 258. ſtatuit: Und iſt es auf dem Lande, ſo ſoll ſich ſein der Richter unterwinden, und iſt es in einer Stadt, ſo unterwindet ſich ſein der Stadtherr oder ſein Richter, (ſcil. vicarius domini villae.)

Digitized by Google

cientem rationem reddideris, niſi forſitan de ciuitatibus Palatinis hanc legem intelligas, de quo tamen nemini litem mouebo. His poſitis, colligo, α) ius acquirendi Vacantia iurisdictioni cohaerens in Germania antiquum eſſe, licet ratione admodum temperata et limitata, ſed β) etſi ius fiſci regii ſucceſſu temporis in Principes variis titulis tranſierit, et hodie vi ſuperioritatis territorialis exerceatur, inde tamen iudiciis inferioribus nihil iuris accedere, quin potius γ) a libero Principum arbitrio pendere, quantum, ſtatu rerum penitus mutato, magiſtratibus ſubiectis concedere voluerint.

§. XLI.

Quum vero animaduertam, in prouinciis non ſolum iis, quae Saxonum iure inſtitutisque reguntur, ſed aliis etiam frequentiſſimum eſſe iuris axioma, *mero imperio ius fiſci annexum eſſe*, [m] quae aſſertionis cauſa, quis eius hodie valor ſit, breuibus diſpiciam. Trito ab aliis campo immitto falcem. Sed licebit largae meſſi addere ſpicilegium. Quae saepius ICtorum ingenia atque ſolertiam exercent controuerſiae, ſaepius etiam ſub examen ſunt reuocandae. Illud igitur in hiſtoriae monumentis obſeruo, ciuitates mediatas non minus, quam alios praediorum nobilium dominos, a dominis ſuis iurisdictionem ſenſim ſenſimque acquiſiuiſſe eo effectu, vt non tanquam adminiſtratores, ſed patrimoniali titulo

lae.) Hoc vti de villis in poteſtate dominorum conſtitutis loquitur; ita de Palatinis mihi enata eſt coniectura. Aliam huius rei interpretationem ſuppeditat iuris Weichbildici gloſſa: Des wiſſet hie, bey der Königlichen Gewalt iſt nicht allein zu verehren der König, ſondern auch alle die, den das Schwerdt befohlen iſt, damit zu richten, und das Recht damit zu ſtärcken, und das Unrecht zu kräncken. Et porro: Und mit dem Wort, Königlicher Gewalt, Richter und Schöppen, Grafen und Könige ſind zu verehren. Dann warum? Richter und Grafen haben ihren Urſprung und Gewalt von dem König, darum ſind ſie genannt die Königliche Gewalt.

m Erudite ſolideque hoc argumentum pertractauit Vir Illuſtr. GOD. LVD. MENKENIVS in Diſſ. cui tit: *Ius Fiſci mero adhaerens Imperio*, Vitemb. 1735. Multus item eſt circa idem thema GE. HENR. AYRER, apud Götting. Iur. Prof. celeberrimus, in Diſſ. de Iure Occupandi Bona Vac. quae hoc ipſo anno prodiit.

Digitized by Google

tulo plerique iuriſdictionem et merum imperium teneant. Poſterius quidem in magiſtratus municipales et dynaſtas ſerius transiiſſe videtur. Vtraque vero iuriſdictio et municipiis et nobilibus titulis plerumque onerofis conceſſa eſt, venditione, locatione perpetua, oppignoratione, quandoque etiam inueſtitura. Rem notiſſimam exemplis illuſtrare ſuperſedeo. Quum igitur mulctarum compendia ſimul in ſe transtuliſſent, nec infrugiferam eſſe vellent acquiſitam iuriſdictionis poteſtatem, pro qua amplianda omnibus viribus annitebantur; euenit forſitan, vt, antiqui iuris memores, ad id axioma confugerent, quod ius quoddam fiſci vulgare, a Principis iure fiſcali diſtinctum, cum iuriſdictione connectit, et quo ipſi forte Principes contra Caeſarem fiſci compendia vindicantem antea vſi fuerunt. Regula iſta vnde natales habuerit, alii inquirant. Ego id modo obſeruo, quod a ICtis patriis eo facilius defenſa ſit, quo magis ab Italis, iuris Romani reſtauratoribus, illam probari ſcirent. Non quidem ex ſola iuriſdictione deduci poſſe videntur fiſci commoda, quae huc potiſſimum ſpectant, nec, quod ante aliquot ſecula ad iudicum Comitumque emolumênta pertinuit, hodiernis iuriſdictionum dominis adiudicandum erit. Poterit tamen iuris fiſcalis particula, Principe expreſſe taciteque conſentiente, accedente cumprimis longaeuae poſſeſſionis argumento, iuriſdictionis particularis ambitu comprehendi. Ad leges igitur prouinciarum et ad mores in hac lite diiudicanda reſpiciendum eſt, quum in Germania mores magnae ſoleant eſſe auctoritatis, et conſuetudo vti ius introduxit, ita introductum interpretetur. Proderit in hac cauſa vſus, poſſeſſio et exercitium, teſtante experientia, contra ipſos territoriorum Principes ſaepiſſime immemoriali praeſcriptione Regalium iurium particulas defendi.

§. XLII.

Accidit interdum, vt, qui ſine herede moritur, bona in diuerſis territoriis ſita relinquat. Hac occaſione inter Pragmaticos quaeſtio mouetur, cuius territorii fiſcus lucrum hereditarium capiat. Communi rerum in mobiles et immobiles diſtinctione litem componere

 putant,

Digitized by Google

putant, dum illas domicilii domino, has fiſco territorii, in quo res ſitae ſunt, adſcribunt.[n] In ſucceſſionibus enim mobilia perſonam ſequi praeſumuntur,[o] immobilia iure territorii cenſentur ideo, quia praedium abſque vinculo ſubiectionis concipi nequit, niſi exemptione legitime probata. Quae licet in ordinariis priuatorum ſucceſſionibus iuris Romani ratione[p] defendantur, an tamen in iure fiſci circa bona vacantia diiudicando iuris Germanici analogiae conueniant, harum rerum peritioribus decidendum relinquo. Sed nec iis cenſeo adſtipulandum eſſe, qui, dum fiſcum hereditario iure ſuccedere dicunt, fiſco domicilii ius in omnem bonorum etiam alibi ſitorum ſubſtantiam adeoque in totum as hereditarium tribuunt. Eſſe enim aiunt hereditatem ſucceſſionem in omne ius, quod defunctus habuit. Etenim vti contradictionem nullatenus inuoluit; habere plures heredes, eosque in diſtinctas bonorum partes ſuccedere; ita et cum iuris recepti ratione optime conuenit, plurium locorum fiſcos hereditaria lege vacans patrimonium acquirere et pro ſua quemuis parte onera hereditaria ſubire.[q] Sed parum momenti in hac cauſa mea forſitan habebit ſententia, quum delationis fundamentum, quod in regali iure conſiſtit, ab ipſo ſucceſſionis effectu et indole diuerſum eſſe queat. Fiſcum enim quum dicimus heredem, id ſaltem inde colligitur, fiſcum cum onere hereditario ſuccedere et ex facto defuncti teneri. Ipſum vero ius bona vacantia acquirendi ex ſuperioritate territoriali iure Germanico deriuandum eſt, quod perſonas non minus, quae in territorio commorantur, quam res mobiles et immobiles afficit. In vtrisque aeque efficax erit ius territorii,

n Nomina, quae oſſibus cohaerere dicuntur, ad fiſcum domicilii perueniunt. BOEHMER. Conſultt. T. I. Reſp. CXLV. n. 16. STRYK. Succeſſ. ab Inteſt. Diſſ. V. §. 49.

o CARPZ. P. III. Conſt. XII. D. 13. et 14. GAIL. L. II. Obſ. CXXIV. n. 18. WERNHER. P. III. Obſ. 237.

p l. 35. §. 3. D. de her. inſt. l. 32. in f. D. de Pign.

q Huc forſitan referri poteſt, quod habetur in *l. f C. de Bon. Vac.* formam capiendi B. V. ibidem praeſcriptam etiam *in parte bonorum vel in vna alteraue* referuandam eſſe.

Digitized by Google

ritorii, et res, quae iam nullius ſunt effectae, eodem iure in loco, vbi ſitae, quam in alio occupari poterunt.[r] Sed quo certior hic eſt ICtorum diſſenſus, eo magis mihi licebit, de cauſa controuerſa problematice diſſerere.

§. XLIII.

Ipſa ſucceſſionis fiſcalis capita, ex iuris Romani ſententia expoſita, pleraque in patrio foro vſum praeſtare, concedendum videtur. Sed quae ciuili iure dubia ſunt, in noſtro quoque foro incertis ICtorum opinionibus voluuntur. Quum rariores ſint caſus, quibus fiſco ex cauſa bonorum vacantium acquiritur, nec Statuta Hamburgenſia hac in parte quicquam definiunt. In varias quidem Germanorum leges Statutarias de bonis vacantibus incidi. Sed eaſdem hoc loco reſcribere, quum nihil ſingularis contineant, non mei eſt inſtituti. Ad vſum enim practicum iuris fiſcalis, quod Iuſtinianus ſanxit, aſſerendum non tam exempla arbitror valere, ex legibus patriis excerpta, quam ratio, quae demonſtrat, ius Romanum, deficiente patria lege, debere applicari. Addam nonnulla, quae vlterius haec illuſtrare poſſunt. Tetigi controuerſiam de ſucceſſione legitima, non vltra decimum gradum extendenda. Eſſe hoc dogma a nonnullis Germaniae populis receptum, ac in legibus eorum ſtatutariis definitum, Statutorum exemplis, magno numero adductis, probatum dedit Illuſtr. Dn. A LVDWIG.[s] Vſum tamen Germaniae vniuerſalem, ſucceſſiones collateralium ad decimum gradum reſtringentem, ſatis probatum non deprehendo. Quod ſi prouocas ad vetuſti Codicis legum Saxonicarum regulam: Die Sipp endiget ſich im ſiebenden Gliede, Erbe zu nehmen;[t] eadem quod vſu ſeruetur, probandum eſſe, regero. Quum vero rariſſimus ſit caſus, cui controuerſum illud iuris dogma applicari poſſit, eundem

r conf. IO. ERN. SPIELMANNI Diſſ. de Succeſſ. Fiſci p. 71.

s in Diſp. de Lege Caducar.

t I. Prou. Sax. L. I. art. 3. quem textum feſtiue perſtringit Illuſtr. A LVDWIG in Diſſ. cit. p. 10. ſq.

Digitized by Google

dem in nullis Pragmaticorum conſultationibus deciſum deprehendi. Eodem igitur eueniente, a variantibus ICtorum ſententiis deciſionem pendere non dubito. Sed quicquid demum de vſu dogmatis illius ſentiendum ſit, locum illud non obtinebit in ſucceſſionibus, ſiue pacto, ſiue teſtamento ad omnem poſteritatem vel familiam extenſis. Maximum in Germania vſum praeſtat haec obſeruatio tum in ſucceſſione feudali agnatica, [u] tum in ea, quae ex fideicommiſſis familiae conuentionalibus defertur. Porro quod fiſcus vacantia cum onere acquirat vti iure ciuili ſancitum reperitur, ita ex ſumma aequitatis ratione idem obſeruat praxis Germaniae. Illud enim quum iubeat lex naturalis, Germanos ab eo recedere dedeceret, qui enixum ſeruandae fidei ſtudium in maxima laudis parte ſemper poſuerunt. Quare quicquid alii diſſentiant, fiſcum ad praeſtanda legata obſtrictum puto, ſi eidem hereditas deferatur. [x] Vlterius nihil obſtat, quo minus quadriennii praeſcriptionem ad ius bona vacantia capiendi elidendum in noſtris quoque foris admittamus. [y] Publicae enim ſalutis intereſt, ne incerta ſint rerum dominia, et ad incommodum hoc auertendum praeſcriptionis lex introducta eſt. Diuerſimode quidem in Germania etiam fiſci iuribus proſpectum eſt. [z] Nihil tamen hac in cauſa neque in communibus Germaniae legibus, neque in ſtatutis ſingularibus definitum reperio. Hinc a iuris Romani placito non erit recedendum. Quid de reſtitutione fiſco indulgenda contra praeſcriptionis lapſum ſecundum fori vſum hodiernum ſentiendum ſit, ICtorum Wittebergenſium ſuffragia indicant. Quae WERNHERVS [zz] exhibet, affirmatiuam, quae HORNIVS, [a] negatiuam tueri videntur ſententiam. Hinc forſitan non improbandum eſt, quod ſupra monui, rem iudicis arbitrio relinquendam eſſe.

§. XLIV.

u GAIL. L. II. Obſ. 150.

x BRVNNEMANN. Conſ. III. n. 83. ſqq. MEV. Conſ. XLIV. n. 120. ſeq. LAVTERB. Diſp. de Transmiſſ. heredit. §. 17.

y WERRNH. P. II. Obſ. 369.

z conf. Illuſtr. AVGVST. LEYSERI Meditatt. ad Dig. Specim. CCCCLVIII.

zz Conſil. P. VIII. Obſ. 87.

a Claſſ. XIV. Conſ. VII.

§. XLIV.

Quoad tertium bonorum vacantium caſum, ratio ſubeſt, cur quandam facti ſpeciem annectam, eandemque obſeruationibus nonnullis illuſtrem. Sempronia, Catholicae religioni addicta, in territorio, vbi Auguſtana religio dominatur, cum marito iam defuncto domicilium fixerat. Quum mortua crederetur abſque herede ſanguinis, eiusdem loci fiſcus, hereditatem vacantem vindicaturus, Aduocati fiſcalis officium excitauerat. Superuenit Caius, mariti frater, ſeque Semproniae heredem iactat, producta in vim probationis ſchedula, quam Semproniam, praeſentibus duobus clericis, dictitaſſe contendit, nulla tamen nec teſtatricis nec vllius teſtis ſubſcriptione annuloque munitam. Attamen in ea heredem ſe legitime inſtitutum Caius arbitratur. Prouocat ea de re ad iuris Canonici placita, quae ſolennitates teſtamentarias omittendi licentiam concedunt, ſi, parocho et duobus teſtibus praeſentibus, vltima voluntas nuncupata fuerit. Oritur igitur quaeſtio, an iactata teſtatricis nuncupatio ad excludendam fiſci intentionem valide agnoſci debeat. Illud quidem notum eſt, Alexandrum III. Pontificem, adductae doctrinae auctorem, nouam vltimarum voluntatum formam ſanxiſſe, eaque ciuili iuri derogare voluiſſe, [b] irrito licet et ferme inani conatu. In terris certe Proteſtantium iuris huius nullam eſſe auctoritatem, [c] ſatis alii probarunt. Nec in illis regionibus, quae Pontificia ſacra ſequuntur, et ne in Italia quidem, exceptis terris Pontifici ſubiectis, ſtatuta haec Pontificia (vt nonnulli tradunt) vſum praeſtant forenſem. [d] Non ergo opus eſt, vt diſquiram, an facti ſpecies diſpoſitioni Pontificiae conueniat, num praeciſe parochus et duo teſtes requirantur, an vero duo ſufficiant clerici, dummodo ſufficiens voluntatis certitudo adſit.

L Sed

b in c. 10. X. de teſtam.

c conf. Illuſtr. BOEHMERI Ius Eccleſ. Proteſt. ad tit. X. de Teſtam. §. 4.

d STRYCK. Vſus Mod ad Tit. qui teſtam. fac. § 3. Aliud de Saxonia tradunt COLER P. I. dec. 35. RICHTERVS Dec. 28. ſed praxin modernam cum his conſpirare vix aſſerendum puto.

Digitized by Google

Sed examinemus, an teſtationi praemiſſae opitulari poſſit ius ciuile. Memini, GVNDLINGIVM, magni nominis virum, quaeſtionem illam, an Princeps, deficientibus heredibus legitimis, ſine ſolenni teſtatione heres inſtitui queat, ideo affirmaſſe, [e] quia ſolennem teſtamentorum formam eo ſaltim fine a Romanis receptam putabat, vt heredibus ab inteſtato proſpiceretur. Hinc, *ſolennia*, inquit, *et iuſta teſtamentorum eo ſolum caſu requiruntur, vbi vel liberis, vel conſanguineis, vel ante legitime ſcriptis intercipiendum eſt luculentae hereditatis emolumentum.* Id ſi verum eſſet, nec in praeſtructa facti ſpecie forſitan aliter foret decidendum. Similem caſum tradit SCAEVOLA: [f] *Propoſitum eſt, non habentem liberos nec cognatos, in diſcrimine vitae conſtitutum per infirmitatem, arceſſitis amicis, Caio Seio contubernali dixiſſe: quod vellet ei relinquere praedia, quae nominaſſet, eaque dicta in teſtationem Caium Seium redegiſſe, etiam ipſo teſtatore interrogato, an ea dixiſſet, reſponſo eius tali* μάλιϛα *i. e. maxime inſerto.* Reſpondet ICtus. *Dubitandum non eſſe, quin fideicommiſſum valeat.* Sed vti iure nouo non alia ratio eſt formae ſolennis, vltimis voluntatibus praeſcriptae, quam voluntatis certitudo, et vt euitentur heredipetarum fraudes; ita difficilior eſt deciſio, an in vim fideicommiſſi voluntatis declaratio ſolennibus deſtituta valeat? Noui equidem, ſecundum DIOCLETIANI legem [g] nutu etiam relinqui poſſe fideicommiſſa, nonnullasque dari veteris iuris reliquias, quae in hanc rem cumulari ſolent. [h] Sed nec me latet nouiori CONSTANTII ſanctione, [i] quae quinarium teſtium numerum ad eius generis teſtationes firmandas requirit, legem illam antiquiorem abrogatam eſſe. Quibus rite penſitatis, patet, nec fideicommiſſi nomine ac iure ſchedulam, qualem ſupra deſcripſi, ſuſtineri poſſe.

§. XLV.

e in Diſſert. de Princ. herede ex teſtam. ciu. c. 6. §. 9. ſq.

f l. 39. §. 1. de Leg. III.

g l. 22. C. de fideicomm.
conf. BOEHM. Diſp. de Codic. absque teſt. validis.

i l. f. C. de Iure Codic. v. GROLLMANNI Diſp. de Epiſt. hom. vltima.

§. XLV.

De proceſſu a fiſco adhibendo, quem ſecundum iuris ciuilis normam ſuo loco tradidi, nunc quaedam, quae fori vſum concernunt, adducam. Delationem ſolennem hodie ceſſare, vix opus eſt, vt commemorem. Quae vero de cauſae cognitione, bonorum annotatione, eorundemque incorporatione, leges Romanae ſanciuerunt, eadem quin et hodie ſuo modo in foro obſeruanda ſint, dubitare vix licet. [k] Sed Pragmaticorum nonnullorum ſententiis dogma inualuiſſe perſpicio, fiſcum in aſſerendo iure, Principi vel Reipublicae competente, non litigare, niſi arrepta poſſeſſione, adeo, vt a fiſco turbatus deiectusque neutiquam ſit manutenendus. [l] Quod vti in regalium vindicatione probabili ratione quibusdam defendi videtur, cum poſſeſſori iuris praeſumtio reſiſtat; in petitione tamen bonorum vacantium haec procedendi ratio aequitati maxime contraria videtur. Fiſco ergo non niſi vacuam poſſeſſionem ingredi licebit. Non tamen negligenda eſt inquiſitio, num vere bona vacent. Hinc quum noſſe interſit, an exiſtant heredes legitimi, in omni caſu praemittere Edictalem citationem hodieque fas eſt. Edictum hoc citatorium ſecundum receptum in foris Germaniae morem in tribus territoriis affigendum eſſe, vix dubito. Sed num vna, an plures citationes requirantur, in legibus ciuilibus conceptis verbis definitum non deprehendo. Ex iuris igitur analogia diiudicandum erit. Vna vice citatum et in termino non comparentem iuris ſui amiſſione mulctari mores ferre vix videntur, niſi expreſſa doceatur legis ſanctio. Idem forſitan et paullo iniquius videri poſſet, quum facile accidere queat, vt citatio heredi, ſi quis forte ſupereſt, non innoteſcat. Quare potius duas ad minimum neceſſarias putarem, vtramque edictalem, alteram ad ius hereditarium deducendum, alteram ad audiendam ſententiam, qua perpetuum heredi ſilentium imponitur, aut bona vacan-

k Quaeſtionem de conficiendo inuentario ſatis ab aliis pertractatam nolo recoquere. conf. STRYCK. de Succ. ab Inteſt. Diſſ. V.

l v. COCCEIVS in Iure Controu. ad Tit. de I. F. qu. 2.

Digitized by Google

vacantia declarantur. Eſto autem, elapſo vtroque termino, heredes ad ius ſuum deducendum paratos venire. Numne eoſdem audiemus, an vero repellemus a limine iudicii quaſi poſt rem iudicatam? Priori aequitatis rationem ſuffragari crederes. Conſtat enim, hereditatis petitionem non niſi XXX. annis praeſcribi, nec breuiore termino ius adeundi hereditatem amitti. Hinc nec fas eſſe videtur, vt temporis breuioris lapſus in iuſta et inuincibili ignorantia verſanti nocere debeat. Sed adſunt, quae contrarium tuentur, argumenta. Namque non mores ſolum eum citationum Edictalium effectum tuentur, [m] ſed leges etiam iudici permittunt, vt hereditatis aditionem breuiori termino perficiendam iniungat, vrgentibus praeſertim, quorum intereſt. Nec forſitan improbanda eſt opinio, hac in parte plus poteſtatis tribuendum eſſe iudicio, quod in terris ſuis ſumma pollet auctoritate, quam iudici inferiori et a ſuperiore pendenti. Accedit ſententiae auctoritas non facile eludenda, et ratio, quae non patitur, vt in fiſci praeiudicium diu incerta maneat bonorum qualitas. Ceterum iudicis arbitrio libertas non erit adimenda, expenſis, quae factum circumſtant, argumentis, de reſtitutione in integrum contra ſententiam praecluſiuam indulgenda ſtatuere. Hanc enim in hac cauſa non ſemper petenti denegandam eſſe puto. [n]

§. XLVI.

Bona caduca, a Iuſtiniano ſublata, et in Germania ignoramus. Quum vero eadem lex de coelibum poenis ſanciuerit, opportunum erit, de iure Hagenſtolziatus, cuius vſus aliquis adhuc hodie in nonnullis Germaniae territoriis ſupereſt, quaedam diſſerere. [o] Hagenſtol-

m PEREGR. de I.F. L. IV. tit. 3. in f. GAIL. L.I. obſ. 57. WERNHER. P. III. obſ. 192.

n *Ius Prov. Sax.* L. I. art. 28. et 29. ibique quae habet Gloſſa. Vtiliter quoque huc extendi poſſe videtur art. 18. T. III. P. III. *Stat. Hamburg.*

o Iura Hagenſtolziatus vigent inprimis in terris Palatinis, Würtenbergicis, Brunſuicenſibus et Guelpherbytanis, teſtantibus duumuiris, WERNHERO et KRESSIO in Diſſ. erudite pariter ac eleganter ſcriptis, de Hagenſtolziatu.

genſtolzium dicimus hominem, qui in coelibatu vel viduitate voluntarie per certum et legibus definitum tempus permanſit et conſenuit. Iuris huius origines antiquiſſimae eſſe videntur, [p] conſuetudine magis, quam legibus fundatae. In vniuerſa Germania nec olim ius illud viguiſſe arbitror. [q] De illius iuſtitia quicquid alii ſentiant, mihi durum ſatis fuiſſe videtur, praeſertim in republica, cui hominum liberorum copia nunquam defuit. Aetatem, quam quis coelebs tranſigere debet, vt pro Hagenſtolzio habeatur, mores non vna eademque ratione definierunt. [r] Animaduerto, in quibusdam locis ab hoc onere immunem eſſe ſexum muliebrem, forte quia huic indecorum eſt, nubendi conditionem quaerere. Efficit ius Hagenſtolziatus, vt coelibum bona fiſcus capiat, excluſis, qui alias ad ſucceſſionem vocantur, cognatis. Inde in fiſci praeiudicium aut teſtari aut mortis cauſa donare Hagenſtolzius neutiquam poteſt. [s] Succeſſio fiſcalis in bona Hagenſtolziorum nec omnia ſemper bona afficit, nec vna eademque regula vbique procedit. In bona feudalia aut fideicommiſſa auita nullum fiſco ius competere videtur. In clientelis enim ius omne ſuccedendi facto acquirentis innititur, adeo, vt qui ab illo ſanguinem trahunt, proprio quodam iure ad beneficii poſſeſſionem vacantem adſpirent. Si vero allodia quaedam teſtamentis pactisque maiorum certis in familia perſonis addicta ſunt, eaque hac lege et onere Hagenſtolzius acquiſiuit, ius omnibus de familia quaeſitum fiſcus interuertere nequit. Vbi hereditariorum et acquiſitorum viget differentia, ibidem ſi et Hagenſtolziatus ius obtineat, illa heredibus, haec fiſco addicenda videntur.

p Aliter ſentit Illuſtr. A LVDWIG in Diſſ. cui tit. Exſul Hagenſtolziatus in Germania.

q Forſitan eidem obfuit auctoritas iuris ciuilis, quo coelibatus poenae improbantur per legem C. de infirm. poen coelib.

r conf. Ill. WERNHER. l. c. §. 8. ſq. Ill. KRESS. l. c. c. IV. §. 4. ſq.

s Teſtandi quidem facultatem Hagenſtolzio tribuit WERNHERVS l. c. p. 28. KRESS. l. c. p. 66. exceptis bonis acquiſitis, quae fiſco debent eſſe ſalua. Sed quum teſtamenti factio de bonis hereditariis ob praeiudicium conſanguineorum improbetur, nihil Hagenſtolzio ſupereſt, quod per ſupremas tabulas in alios transferat.

Digitized by Google

dentur.[t] Per pactum exemtionem a iure Hagenſtolziatus impetrari poſſe, tum vt heredibus ſanguinis proſpiciatur, tum vt libera ſit teſtandi facultas, dubio caret.

§. XLVII.

Vigeſimam hereditatum Iuſtiniani tempore in deſuetudinem abiiſſe, ſupra monui. Non omni prudentiae ratione carere videtur iſtiusmodi hereditatibus impoſitum onus. Sed, quae temporum noſtrorum eſt felicitas, ignorat hoc vectigal Germania.[u] Aliud vero eius generis inſtitutum habemus, illi non prorſus diſſimile, quod ius Detractus vocamus, quoue aut territorii dominus, aut domicilii magiſtratus hereditatis in alium locum deferendae partem capit. Nimium Iuris Romani aut Pontificii amorem ſapit, quod vel ab antiqua hereditatum viceſima, vel a portione Canonica, Epiſcopo ex bonis Eccleſiae relictis debita,[x] ius illud nonnulli deducant. Ipſa imperii et ſubiectionis natura, ex qua gentium moribus, naturali ratione ſuffultis, ius tributa collectasque indicendi deriuatur, Detractus huius fundamentum ſuggerit. Generatim quidem hereditarium hoc vectigal leges Imperii approbant.[y] Eius tamen qualitas aliaque determinatio[z] ex ſtatutis propriis moribusque ſunt cognoſcendae. Gaudent plerum-

t Ex bonorum ſeparatione hoc caſu inſtituenda quaeſtio enaſcitur, qualia in dubio bona ſint praeſumenda. Conf. erudite de eo differentem IO. RICHEY de Pactor. Dot. Mutat. etc. cap. VI. it. KRESS. loc. cit. p. 71.

u In Auſtria tamen ſuperiori eius generis decimas, das Fahlfrey-Geld dictas, territorii domino ex hereditatibus ſolui, ex FINSTERWALD. Obſ. Pract. 61. et 63. meminit CHRISTOPH. REDECKERVS in Diſp. de Decimis Laicorum.

x c. 14. et 15. X. d. teſtam.

y Receſſ. Imp. de a. 1594. §. So viel die ꝛc.

z Quod ſi de Iure Retorſionis, in Gerada Saxonica obtinente, ad ius Detractus colligere licet, in Saxonia nihil referet, num in eadem regione permaneat hereditas, mutato ſolum iuriſdictionis loco, an extra territorium transferatur CARPZ. Conſt. XXXII. P. III. Def. 3. et 19.

Digitized by Google

plerumque eo iure, magiſtratus mero et mixto imperio inſtructi. [a] Interdum vel vnius prouinciae vel diuerſorum territoriorum magiſtratus, datis inuicem litteris reuerſalibus, paciſcuntur de hereditatum decima, in bonorum ciuicorum translatione mutuo vel tollenda vel ſaltim minuenda. In exigendo hoc lucro fiſcali promtis remediis vti ſolent Principes ac magiſtratus, arreſto, retorſione vel retentione. Si vero iudicii auxilio indigeant, competet condictio ex moribus vel ſtatutis, quam non niſi XXX. annis extingui recte ſtatuunt ICti Vitebergenſes. [b] Hamburgi hoc ius Detractus optime viget, de cuius ratione tradit ſequens ſtatuti textus: [c] Waſſerley Erbgut [d] in dieſer Stadt von Bürgern oder Einwohnern [e] verſtirbt auf Leute, die allhie keine Bürger ſeyn, die ſollen alles des alſo verſtorbenen Guts den zehenden Pfenning dieſer Stadt entrichten. Wollte aber [f] der frembde Mann, dem Erbgut in dieſer Stadt angefallen innerhalb Jahres [g] nach geſchehener Theilung [h] in dieſer Stadt ſeine häusliche Wohnung anſtellen, und die Zeit ſeines Lebens mit dem angefallenen Erbgut bewohnen bleiben, und ſolches genugſam verſichern, der

a EICHELII Diſp. de Iure Detractus §. 34. conf. CARPZ. l. c. Def. 19.

b WERNHER. P. I. Obſ. 369.

c *Statut. Hamb.* P. III. Tit. III. art. 19.

d Erbgut hoc loco omne, quicquid in defuncti patrimonio fuit, denotat: non bona tantum a maioribus profecta, quem ſenſum alias leges patriae vocabulo Erbgut tribuunt, ab his bona acquiſita diſtinguentes. conf. B. IO. RICHEY de Pact. Dotal. Mutat. etc.

e Haec vniuerſalem iuris Detractus rationem innuunt, adeo, vt etiam incolae temporarii huic legi ſubiiciantur, niſi, forte, ſenatus iurisdictioni prorſus eximantur.

f Non igitur occurrit, niſi vnica diſpenſatio, domicilium Hamburgum transferenti conceſſa.

g Quid ſi elapſo anno Hamburgi lares figere velit? Per benignam legis interpretationem, ſuadente inprimis publica ſalute, ex ſolo Senatus arbitrio id indulgeri poſſe videtur.

h Non ergo annus hic currit, niſi familiae herciſcundae negotio plene peracto.

der ſoll den zehenden Pfennig von den ihm angeerbten Gütern zu geben nicht verpflichtet ſeyn.

§. XLVIII.

De vſu iuris Romani quoad bona Ereptitia diſcrepantes deprehendo ICtorum opiniones. A multis tam in Germania, quam alibi non receptum aut moribus contrariis abrogatum perhibetur. [k] Alii indignos pro incapacibus, adeoque, quod iis relictum, pro non ſcripto habendum, heredibusque relinquendum eſſe aſſerunt. Contrariam ſententiam tuentur alii, et Romani iuris vſum, deficientibus legibus patriis, ſtatuunt eſſe praeſumendum. Dantur item, qui, tacentibus ſtatutis patriis conſuetudineque non vigente, MODESTINI effato [l] nimium indulgentes, in dubio contra fiſcum pronunciari iubent. [m] Aſt MEVIVS, [n] peritiſſimus praxeos Germanicae ICtus, media velut via procedens, *inſpectis*, ait, *aliorum ſcriptis, apparet, eos loqui tantum vel de certa cauſa, ob quam indigni habentur, vel de certo quodam loco.* Quum ergo tantis difficultatibus laboret ereptitiorum vſus hodiernus, generali iudicio rem vix decides. Diſtinctius igitur video tractandas eſſe indignitatis cauſas. Quare ſeparatim exponam caſus, qui notatu digniores videntur. De herede, ob necem defuncti non vindicatam bonis priuando, quaedam ſuperius tradidi. HEIGIVS [o] copioſe ſatis pro fiſco hereditatem vindicante decidit; ſed enixe non minus contrarium defendit CARPZOVIVS, [p] cui SCHILTERVM reperio adſtipulantem. [q] Dum in rei rationes inquiro, pleraeque, quae

i SANDE Dec. L. IV. T. IV. Def. 5. KLOCK. Vol. II. Conſ. 46.

k HEIGIVS P. II. Qu. 34. n. 44.

l l. 10. D. de I. F.

m LAVTERBACHIVS in Coll. D. ad tit. de his, quibus vt indignis.

n P. V. Dec. 153.

o loc. ſupra cit.

p in Praxi Crim. P. I. Q. 34. n. 74. it. in Deciſ. 162.

q in Exerc. ad D. XXXVIII. §. 179.

Digitized by Google

quae olim SCto Syllaniano legibusque de vindicanda defuncti caede cauſam dederunt, ceſſare videntur. Alia eſt ſtatus noſtri publici facies. Alias habemus iudiciorum formas. Vbiuis fere locorum ex officio in delicta inquirere iudices iubentur. Sed nihilominus ſolam publicae vtilitatis rationem, quae crimina vindicare iubet, ſufficere arbitror, ne omnem in Germania vſum practicum Iuri Romano hac in parte denegemus.[r] Deſierunt quidem priuatorum accuſationes, et nemo ad accuſandum compellitur.[s] Haec tamen heredem non penitus liberant a denuntiationis neceſſitate, eo inprimis caſu, quo occulta fraude periit defunctus. Caſus teſtamenti, ab herede vi metuque falſisque ſuggeſtionibus extorti, nec hodie in foris penitus inauditus eſt. Romani iuris conditores fiſco locum reliquiſſe [t] conſtat, ſiue heres defunctum coegiſſet, ſiue prohibuiſſet teſtari. Stricto enim iure ſubſiſtere per vim extortae hereditates delataeque videbantur, quas excluſis heredibus fiſcus eripiebat. Sed has iuris Romani ſubtilitates mores Germani non agnoſcunt. Quapropter nec fiſco ſine ratione fauendum eſt, ſed, teſtamento coacto ob nullitatis vitium corruente, res ad ſucceſſionem ab inteſtato redit.[u] Quod ſi vero is, cui ab inteſtato ſucceſſio debetur, teſtamenti factionem prohibuerit aut doloſo modo impediuerit, cum STRYCKIO[x] et LEYSERO[y] aſſerere non dubito, heredi tanquam indigno auferendam eſſe hereditatem fiſcoque deberi. Ceteris tamen legitimis heredibus, qui fraudis non fuere participes, nocere nequit ea indignitatis poena. Aliud dicendum videtur, ſi filius teſtamentum patris inofficioſi querela temere impugnauit. Huic enim legatum a patre relictum a fiſco auferri, notiſſimi iuris eſt,[z] ſiue teſtator clauſulam priuationis tabulis ſupremae voluntatis inſeruerit expreſſe, ſiue illam omiſerit.

r HERTIVS in Diſp. de Herede occiſi vindice Sect. V. §. 7.
s Ordin. Crim. art. CCXIV.
t l. 1. et 2. D. ſi quis aliquem teſt.
u BRVNNEM. Cent. I. Dec. 85. CARPZOV. P. III. Conſt. 5. Def. 16. STRYCK de Succeſſ. ab Inteſt. Diſſ. XII. c. 1. §. 20. et 21.
x de Succeſſ. ab Int. Diſſ. XII. §. 21.
y Meditatt. ad Pand. Sp. CCCLXXV. 6.
z l. 8. §. 14. D. d. inoff. teſtam. l. 13. §. pen. D. de I. F.

Digitized by Google

Licet enim non temere aſſerendum ſit, quamuis teſtamenti paterni impugnationem ad priuationem hanc ſufficere, ſed ex rebus factum circumſtantibus de actoris intentione improba iudicandum; vſum tamen iuris Romani agnoſco, donec validiori iure abrogatum doceatur. [a] Vlterius refert HVBERVS, [b] in Curia Friſiae legatum ei relictum, qui cum teſtatrice adulterii conſuetudinem habuiſſe conuictus erat, fiſco fuiſſe adiudicatum. Denique quum in crimine expilatae hereditatis vindicando ad ius commune reſpicere iubeantur iudices, [c] de vſu practico eius, quod iure Romano cautum eſt, nequeo dubitare. Plura addere non vacat.

§. XLIX.

De confiſcationum poenis in Germania loquuturus, argumentum aggredior intricatum et dubio non vno inuolutum. Non enim ſolum controuertitur, quaenam huic poenae obnoxia ſint crimina; ſed ipſius etiam grauiſſimi delicti, in quod bonorum ademptione animaduerti leges Germanicae iubent, natura ac ratio non ſatis explorata eſt. Laeſae Maieſtatis crimini an in Imperio noſtro alia iungenda ſint delicta, patrimonii confiſcatione plectenda, ambiguum multis videtur. [d] Dubitandi anſam praebet textus non omnino liquidus, qui habetur in Conſt. Crim. Carol.

art.

a FINCKELTHAVS. Obſ. 109. BERLICH. Dec. XLII.

b Praelect. ad D. tit. d. his, quibus vt indign.

c Ordin. Crim. art. 165.

d Sunt, qui prouocant ad Auth. *Gazaros C. de Haeret.* quae Friderico II. Imperatori tribuitur. Secundum hanc adhuc hodie obtinere volunt, quod haereticorum bona fiſco ſint vindicanda. Sed ex Ordinum Imp. conſenſu eam conſtitutionem latam eſſe, nusquam reperitur. Non ergo inanis forte ſuſpicio, ex Papae ſcriniis eam prodiiſſe, aut ſaltem eius artibus Friderico eſſe extortam, et ab Italis Doctoribus Codici adiectam. Eo minus hodie in Proteſtantium terris, aliquam auctoritatem eidem tribuere auſim. Alii bonorum confiſcationem in crimine inceſtus ſublatam non eſſe arbitrantur. Ita ſaltem reſponderunt ICti Vitembergenſes: Im übrigen die Publicatio bonorum in crimine inceſtus an den Orten, wo das Kayſerl. Recht üblich, annoch heut zu Tage ſtatt hat ꝛc. v. Ill. A WERNHER T. II. Obſ. 97. Hamburgi itaque, vbi bonorum ademtio expreſſe non ſtatuitur, a iudicis arbitrio forſitan penderet, an ſecundum res factum circumſtantes poenam hanc irrogandam cenſeret. Alii, plures dari bonorum in poenam confiſcandorum caſus, probare volunt ex verbis *Capitulatt.* FERDIN. III. art. 28. LEOPOLDI art. 27. CAROLI VI. art. 21. Die Güter, welche ex crimine laeſae maieſta-

art. 218: So ein Uebelthäter auſſerhalb des Laſters der Beleidigung unſerer Maieſtät oder ſonſt in andern Fällen, ſo der Uebelthäter Leib und Guth nicht verwircket, vom Leben zum Tode geſtraft, Weib und Kinder an Bettelſtab, und das Gut dem Herrn zugewieſen werden. Quae alii copioſe ad hanc legem commentati ſunt, quamque ad ſenſus illuſtrationem verborum medelam attulerunt, huc reſcribere, locus non permittit. [e] Mihi ipſe legis conditor dubius fuiſſe et ad illam ICtorum controuerſiam reſpexiſſe videtur, qua diſſentire ſolent, an per *Nou. CXXXIV.* illae ſolum confiſcationes ſublatae ſint, quae cum mortis aut alia poena velut in conſequentiam irrogari ſolent, eaeque proinde bonorum publicationes, quae principaliter poenam delicti conſtituunt, pro receptis ſint cenſendae. Sed in re dubia liceat parti accedere frequentiori. Pleroſque autem animaduerto teſtari Pragmaticos, confiſcationum poenas pro non receptis habendas eſſe, praeterquam in crimine laeſae Maieſtatis. [f] Ipſum vero hoc delictum quotuplici ratione in Imperio R. German. committatur, anceps eſt diſquiſitio. Priuatae ſortis hominem, quoties contra venerationem aut ſecuritatem, Imperatori [g] vel Imperio debitam, agit, criminis laeſae maieſtatis reum habendum eſſe, ſatis quidem certum videtur. [h] Sed difficilior eſt diſquiſitio, an et quatenus ipſi Imp. Status contra Imperatorem hac ratione delinquere poſſint. Quum enim Principes Imp. pro ſubditis haberi nolint, omnis eorum obligatio ex pacto deriuatur. Inde nonnulli colligunt, crimen vel perduellionis vel laeſae maieſtatis in ipſos cadere non poſſe. Docent tamen exempla, Imp. Status terris ſuis fuiſſe exutos, quum vel Imp. ſecuritatem turbauerint, vel fidem reuerentiam-

ieſtatis oder ſonſten verwürcket werden möchten. conf. SIXTIN. de Regal. L. II. c. 12. n. 94. 95.

e Solide et erudite ſatis haec omnia pertractauit Excellent. IO. PAVL. KRESSIVS in Commentat. ad Conſt. Crim. Carol. V. p. 790. ſqq.

f Ex magno ICtorum numero vnicum modo adduco CARPZOV. Crimin. P. III. Quaeſt. 135. n. 27.

g Idem expreſſe ad Electores extendit *Aur. Bulla* T. 24. §. 2. ita vt ab omnibus Imperii ſubditis mediate contra ipſos crimen laeſae Maieſt. committi dicatur.

h Vindicari tamen eo caſu bona confiſcanda non fiſco Caeſareo, ſed fiſco Principis, ſatis cautum eſt in *capit.* CAR. VI. art. 21.

tiamque Imperatori debitam neglexerint. Alia quaeſtio eſt, an contra Status ipſos maieſtatis crimen committi poſſit. Noſtris temporibus de eo quendam dubitare vix permittit experientia et ſuperioritatis territorialis amplitudo.[i] Regiminis tamen forma, nexus, qui inter Principem et ſubditum intercedit, et delicti grauitas diuerſos forſitan et quoad bonorum confiſcationem in poena irroganda producent effectus. Statuta mea patria in eos, qui hoſtilia mouent contra Rempublicam vel Senatum, bonorum publicatione expreſſis verbis non quidem animaduertunt.[k] Sed quum hanc poenam ſatis ſtabiliant communes Germaniae leges, eadem, tacente licet ſtatuto, perduellionem vel laeſam maieſtatem committentes manebit. Vberiora incrementa fiſcus ſecundum communia Germaniae placita ex damnatorum bonis exſpectare vix poterit. Cuilibet tamen Statui Imp. licere, in ſuis terris noua confiſcationum genera inſtituere, ex indole regiminis ciuilis ſatis arbitror patere. De partiaria bonorum ademtione, quae alias mulctae nomine venire ſolet, diſſerere, mei non eſt inſtituti.

§. L.

Superſunt, quae in hoc Academico libello explicare mihi propoſueram, et in his celebre illud ius Albinagii.[l] Sed praeter opinionem ſub manibus opus video creuiſſe. Vela itaque contraho, naui in portum deducta. Tu vero, Beneuole Lector, ſi non vbiuis vento aeque felici me nauigaſſe aut in cautes anfractusque interdum incidiſſe ſentias, credas, quaeſo, laborem a me ſuſceptum eſſe, non vt alios docerem, ſed vt, quid mihi videatur, exponerem.

i Communiter tamen diſtingui ſolet inter Imp. Ordines, vel *coniunctiue* vel *ſigillatim* ſumtos. Quum ratione poſteriori delinquitur, crimen laeſae maieſtatis ἀναλόγως tantum committi dicunt.

k Ita P. IV. Artic. 3. Ein Verräther, der aus verrätheriſchem boßhaftigem Gemüthe ſein Vaterland, ſeinen Herrn oder Obrigkeit, auch ſeinen Nächſten verrathet, und dadurch kundbahr Unglück, und hochſchädlich Unheil wiſſentlich verhänget und würcklich verurſachet, ſoll geviertheilt, oder ſo die Verbrechung nicht gar groß, mit dem Schwerdt hingerichtet werden.

l Filum tractationis eo ſecurius hic abrumpo, quo maiorem aliorum diligentiam iam extitiſſe noui in iure Albinagii illuſtrando. Ablego Beneu. Lectorem ad auctores a GE. HENR. AYRERO allegatos ad §. 18. Diſſ. cit. Quibus addo GE. BEYERVM in Spec. Iur. German. L. II. c. 12. et SAM. STRYCKIVM de Retorſionis iure cap. IV.

✲ ✲ ✲

Ad11476(6 2.

Digitized by Google